SEXTI POMPEI FESTI

DE VERBORVM SIGNIFICATV
QVAE SVPERSVNT
CVM PAVLI EPITOME

THEWREWKIANIS COPIIS VSVS

EDIDIT

WALLACE M. LINDSAY

EDITIO STEREOTYPA
EDITIONIS PRIMAE (MCMXIII)

STVTGARDIAE ET LIPSIAE
IN AEDIBVS B.G. TEVBNERI MCMXCVII

Die Deutsche Bibliothek – CIP-Einheitsaufnahme

Festus, Sextus Pompeius:
[De verborum significatu quae supersunt]
Sexti Pompei Festi De verborum significatu quae supersunt.
Cum Pauli Epitome. Thewrewkianis copiis usus ed. Wallace M. Lindsay. –
Ed. stereotypa ed 1 (1913) –
Stutgardiae ; Lipsiae : Teubner, 1997
(Bibliotheca scriptorum Graecorum et Romanorum Teubneriana)
Einheitssacht.: De verborum significatione epitome Verrli Fiacci
ISBN 3-519-01349-5

Das Werk einschließlich aller seiner Teile ist urheberrechtlich geschützt. Jede Verwertung außerhalb der engen Grenzen des Urheberrechtsgesetzes ist ohne Zustimmung des Verlages unzulässig und strafbar. Das gilt besonders für Vervielfältigungen, Übersetzungen, Mikroverfilmungen und die Einspeicherung und Verarbeitung in elektronischen Systemen.

© B. G. Teubner Stuttgart und Leipzig 1997

Printed in Germany
Druck: druckhaus köthen GmbH
Buchbinderei: Druckhaus „Thomas Müntzer" GmbH, Bad Langensalza

PRAEFATIO.

Nactus a v. d. AEMILIO THEWREWKIO ea quae ad apparatum criticum editionis suae ornandum congesserat, properavi (et spero quidem me non nimium properavisse) opus tam diu exoptatum in manus philologorum collocare. Ceteris igitur rebus ad volumen alterum reservatis, hic volui infra textum, quam proxime a codicum textu remotum, testimonia codicum quam plenissime[1]) et accuratissime exhibere. Quae omnia ut recte tractes, lector benevole, praefatio haec operam dabit.

DE FESTI CODICE FARNESIANO.

Cum ante paene viginti annos codex Farnesianus (qui in bibliotheca publica Neapolitana est numero IV. A. 3 signatus) photographice expressus publici iuris factus sit, nolui priorum qui Festum ediderunt, Muellerum dico et Thewrewkium, rationem sequi, qui in paginis suis quasi apographa codicis paginarum[2]) exhibuerunt. Id potius egi, ut ipsa verba Festi non modo e codice, sed etiam partim e Pauli epitoma (v. g. 426, 4), partim e coniectura elicerem. Cum tamen libri Festini maxima ex parte codex ille unicus nobis testis supersit, pro religione habui paginarum eius formam, quantum potui, conservare, ita ut singuli in unaquaque pagina versus ab eadem littera incipiant in libro meo qua codex, in eandem quam codex desinant.

---

1) In Epitomae apparatu orthographiae quisquilias (velut *e*, *ae*) et novorum lemmatum initia nolui nimis religiose enarrare.
2) Thewrewkianae paginae singulos scripturae ordines, vel columnas, repraesentant.

De litteris evanidis in ambusto codicis margine testibus recentissimis, Croenerto (Herm. 40, 240) et Loewio (Herm. 44, 237), maiorem fidem habui quam Arndtsio (in commentario Muelleriano), Keilio (Rhein. Mus. 6, 618), Abelio (in schedis Thewrewkianis), tum quia recentissimi sunt, tum quia peritissimi, ille evanidae in papyris scripturae, hic palaeographiae Italicae. Ursini contra ceteros testimonium non saepe ausus sum accipere (cf. 194, 25; 488, 32): nam, quamvis codex Farnesianus per tot annos tot hominum manibus, et doctorum et indoctorum, attritus vix possit tam integer[1]) hodie, quam Ursini temporibus fuit, exstare (cf. 486, 34—35), tamen non desunt indicia litterarum, aut per ipsius temeritatem, aut per typographi socordiam iniuria inculcatarum (cf. 172, 3 *par* pro *pa-*; 458, 19 *vici* pro *vi-*; 486, 37 *domesticum* pro *domesti-*). Augustini quidem testimonium non dubitavi omnino reicere, quippe qui ordinem Festinorum lemmatorum secundum ABC- refinxerit, Paulina immiscuerit, fidei denique omnibus numeris absolutae iacturam fecerit. Neque apographa saeculo XV° facta in hac re adiuvant, cum litteras eas, lectu difficiles, plerumque praetereant. Ne reliquiae quidem Pomponii Laeti, de quibus nuper scripsit Vlad. Zabughinius (II, 122—124; 149—151) quidquam afferre videntur, quod quidem et novum et certum sit.

Cum autem ea mihi ratio placeret, ut libros impressos, ed(itionem) princ(ipem), Ald(i), Aug(ustini), Urs(ini), non adhiberem, nisi manu scriptum testimonium plane deficeret,

1) Audi tamen alteram partem. Nam Keilius ita scribit (Rhein. Mus. 6, 620): „Cum primum autem igni adustus est, non crediderim unquam plura, quam quae nunc leguntur, legi potuisse. Nam de margine combusto nihil periisse videtur: immo nunc etiam versuum litterae saepe non tam propter chartae defectum, quam propter nigrum membranarum colorem, quem nunquam non eundem fuisse post incendium factum verisimile est, legi nequeunt. Itaque sicubi plura, quam nunc legimus, Ursinus exhibet, haec coniectura addidisse existimandus est."

Sane fatendum est saepenumero plus recentium oculos dispexisse quam Ursini, quae res Keilio aliquatenus suffragari videtur.

ne in eis quidem codicis Farnesiani partibus (quaterniones dico octavum, decimum, sextum decimum), quae iam deperditae sunt, tam saepe eos in apparatu memoravi quam Muellerus et Mommsenus. Nam pro Ursini editione illud 'doctissimi viri chirographum', e quo Ursinus lectiones suas hausit, ante aliquot annos in bibliotheca Vaticana repertum, nunc praesto est (signo *W* notavi). Etiam Augustini fons, 'codex Achillis Maffei', ab alio codice Vaticano (*X*) non abhorruisse videtur (vide infra). In quaternione quidem sexto decimo tot manuscripti testes accesserunt, inter quos quasi 'unus instar omnium' elucet egregium Politiani apographum, a v. d. Petro de Nolhac detectum (Vat. lat. 3368), et signo *U* in apparatu meo notatum, ut libris impressis non indigeamus; in quaternionibus autem octavo et decimo ad eos identidem confugiendum esse non negabo, cum manuscripti, qui in ea parte praesto sunt (*W X* et hic illic *Y*), non omnino sufficiant, id quod infra plenius exponam. Cave tamen ne obliviscaris licentiam eam interpolandi, omittendi, refingendi, emendandi, quae trium manuscriptorum testimonio tam saepe nocuit, vix ab ullo versu editionis principis et libri Aldini (qui ex editione principe pendere videtur) abesse.[1])

Sed nunc de codicis Farnesiani forma quae narravit Thewrewkius in praefatione libri iam citati[2]), accipe. „Foliis" ait „constat membranaceis 41, paginis 82, columnis (cum in quavis pagina bini sint scripturae ordines) 164,

---

1) Cum glossis Festinis et Paulinis quae sunt in pp. 232—235 tu modo confer has editionis principis glossas: „Piatrix dicebatur sacerdos quae expiare erat solita. quam quidam alii vocant simulatricem, alii sagam, alii expiatricem, et piamenta etiam dicebantur quibus in expiando utitur sive purgamenta. Piacularis romae porta appellatur propter aliqua piacula quae ibidem fiebant, vel, ut ait Cloatius, ex sacro per aliquem piaculo soluitur ut aliqua piandi propitiandique causa immolatur."

2) Cui titulus hic est: 'Codex Festi Farnesianus XLII tabulis expressus: consilio et impensis Academiae Litterarum Hungaricae edidit Aemilius Thewrewk de Ponor.' Budapestini, 1893. Ea quae de initio lib. XV dixit, aliquantum refinxi. Unde columnarum quoque in libris XIV, XV descriptio improbatur.

quaternionibus VI ab ipso librario imo margine signatis.... Ex numero quaternionum extantium cum superstitum Festi librorum Paulique epitomes ambitu comparato summo iure colligitur opus, cum integrum esset, XVI quaterniones numerasse; ex quibus ante codicem repertum perierant septem primi integri, reliquorum novem et folia quaedam et combusto margine singulorum foliorum ordines scripturae exteriores aut toti aut maiore ex parte. Ex quaternionibus illis novem, quos Manilius Rhallus circa annum 1476' repperit, rursus desiderantur hodie tres, VIII, X, XVI, quorum vices faciunt aliquatenus apographa saeculo XV facta ... Quid de codice hodie supersit, et quomodo divisio Festi librorum, quos XX fuisse Paulus epit. p. 1, 9 testatur, quaternionibus respondeat, ex conspectu, quem subiecimus, luculente apparet:

Quatern.		
I—VII	perierunt ante codicem repertum	Quatern. I—VIII col. 29 continebat ex Festi compendii libris XX duodecim primos, unumquemque, ut O. Muellero videtur, in 21 columnis. (Quatern. VIII col. 29, 27 ante voc. *Mulus* legitur: SEX. POMPEI FESTI LIBER XIII INCIPIT).
VIII	recognoscitur ex apographis	Quatern. VIII 29—IX 27 continebat librum XIII in 30 columnis. (Quatern. IX 27, 12—13 ante voc. *Ob* legitur: TI DIVER ... FELICITER, hoc est: Sexti Pompei Festi de verbor. sign. lib. XIII. Incipit feliciter lib. XIV).
IX	extat.	Quatern. IX 27—X 29 continebat librum XIV in 34 columnis.
X	recognoscitur ex apographis	Quatern. X 29—XI 25 librum XV in 28 columnis. [Quatern. X, 29, 22 ante voc. *Pectuscum* fuisse videntur talia: Sex. Pompei Festi lib. XIIII. Incipit lib. XV feliciter.]
XI	maiore ex parte periit ante codicem repertum. Superest folium primum et ultimum.	Quatern. XI 25—XII 23 librum XVI in 30 columnis. (Quatern. XII 23, 10 ... X, v. 11 ... CITER, quod O. Muellerus sic explicavit: Sexti Pompei Festi lib. XVI. Incipit lib. XVII feliciter).

Quatern.		
XII	extat.	Quatern. XII 23—XIII 20 continet librum XVII in 29 columnis. (Quatern. XIII 20, 6—7 legitur: LIBER XVII SEXTI POMPEI FESTI LIBER XVIII).
XIII	extat.	Quatern. XIII 20—XV 4 continet librum XVIII in 48 columnis. (Quatern. XV 4, 4—5 legitur: SEX POMPEI FESTI DE VERBOR(um) SIGNIFICAT(u) LIB. XVIII. INCIPIT LIB. XVIIII).
XIV	extat.	
XV	extat.	Quatern. XV 4—XVI 2 continebat librum XIX in 30 columnis.
XVI	recognoscitur ex apographis.	Quatern. XVI 2—32 librum XX in 30 columnis.

... Altitudo columnarum inter cm. 23 et 26 · 3 fluctuat. Altissimae columnae sunt quatern. XIII 21—22 (cm. 26 · 3) et 23—24 (cm. 26 · 1), humillimae quatern. IX 3—4, XI 31—32 (cm. 23). Latitudo inter cm. 7 · 8 et cm. 9 fluctuat (cf. quatern. XIV 3—4 et IX 11—12). Spatium, quo columnae cuiusque paginae inter se distant, inter cm. 1 · 7 et cm. 2 · 2 fluctuat. Minimum est in quat. XIV 9—12, maximum in quat. XIII 19—20. Versuum in 48 paginis numerus est 34, in 48 numerus est 33, in 4 numerus est 35."

Quibus addenda sunt haec Keilii (Rhein. Mus. 6, 620): „Codex litteris nitidis et perspicuis scriptus est, ita ut praeter pauca quaedam verba, in quibus membranae attritae sunt, de scriptura dubitari non possit. ... Quaternionis IX, qui nunc primus in codice est, non solum omnes membranae magnopere attritae sunt, sed primae etiam praeterea lacunis distinctae, maxime ea, quae omnium prima est."

Et quoniam ars critica in Festi libro maxime in lacunis supplendis versari debet, cum tot versuum partes igne perierint, necesse est scripturae minutias accuratissime indagemus. Primum igitur monendum haec compendia scripturae in codice adhiberi:

I. Verborum.

aedilis aed.
Appius ap.
autem aūt (saepe)
consul cōs. (v. g. quat. XII, col. xii, l. 20)
deus dī 'dei', dō 'deo', etc. (saepe)
dico dr̄ 'dicitur' (saepe)
dolo malo d. m. (XII, xvi, 8)
dumtaxat d. t. (XV, viii, 25; xxi, 27)
epistula eplā (v. g. XII, xxv, 33)
esse ēē (passim)
est ē (passim)
frater frīs 'fratris', frm̄ 'fratrem', frs̄ 'fratres'
Gaius c · *vel* · c ·
gloria glā (v. g. XIV, xvii, 4)
gratia grā (v. g. IX, xviii, 20)
id est id̄ (saepe)
Idus id̄ (v. g. IX, iv, 33)
imperator imprm̄ 'imperatorem' (XV, viii, 16)
— imprs̄ 'imperatores' (XII, ix, 14)
iudicium iudic. 'iudicio' (XV, xxi, 2)
Kalendae kł (v. g. XIII, xv, 18)
liber l. (passim; cf. ad 364, 13)
Lucius l. (v. g. XIII, xxv, 24)
Marcus m. (etiam *Manius*, IX, xxv, 4; XII, v, 3)
meminit · m · (saepe)
nobis nōb (saepe)
non n̄ (passim)
noster nrī 'nostri', nrō 'nostro', etc.
nunc nc̄ (saepe)
omnis omīs 'omnis', omē 'omne', omī 'omni', ōms, 'omnes', omā 'omnia', etc.
per (et syllaba *per*, v. g. 'sem*per*') p (passim)
plebis pl.
(*pondo* cf. ad 288, 27)
pontifex pōnt.
populus Romanus P. R.
populus popls̄ 'populus', poplī 'populi', etc.
prae (et syllaba *prae* vel etiam *pre*, v. g. '*prae*ter', 'ex*pre*sse') p̄ (passim)
praetor pr. (XIV, xxxii, 5 pr. urb. 'praetor urbanus')
pro (et syllaba *pro*, v. g. '*pro*prius') ꝓ (passim)
propheta prōpha (XI, xxix, 9)
(*propter* cf. ad 464, 19)
Publius p.
que (et syllaba *que*) q' (passim)
qui, etc. q 'qui' (saepe), q̄ 'quae' (saepe), ꝗ et qd̄ 'quod' (saepe), qs 'quis' (saepe), qd 'quid' (saepe), qb' 'quibus' (saepe), qͣs 'quas' (XII, i, 20, in fine versus). Eae notae etiam syllabas indicant, v. g. 'ne*qui*nont', '*quae*ro', '*quod*annis', etc.
quia qa (saepe)
Quintus q̄. vel · q̄ ·
quo de agitur q. d. a. (XII, i, 8)
quoniam qm̄ (passim)
res publica R. P. vel res p. (saepe)
sanctus scs̄ 'sanctus' (XII, ix, 2) scm̄ 'sanctum' (XII, xvi, 27)
secundus sc̄dm 'secundum', sc̄di 'secundi', sc̄dissimae 'secundissimae' (XII, xiii, 9)
senatus consultum s. c. (saepe)
Servius ser.
Tiberius ti. vel tī (XIII, xxii, 14; XIV, xxviii, 9)
Titus t. (XII, v, 17)

tribunus tr. (tr. militum XIII, xxi, 23; tr. plebis XIV, xxiv, 5) et trib. (trib. plebis XII, xvi, 1)

vel ūl (saepe)
vero ūo (saepe)
vester urī 'vestrı' (cf. ad 466, 36)
videlicet uīd (IX, xvii, 24?)

II. Litterarum et Syllabarum.

m v. g. cōplura, cōmissi, tēpus, sū (passim)

con c̄ (passim)

-*īs* b̄ '-bis', (saepe) v. g. 'abstinebis' (XII, xxv, 33); 'verbıs' (saepe); 'scribis' (XV, v, 27) ł '-lis' ('Quirina*lis*' XII, xv, 10)

-*it* x̄ '-xit', v. g. 'dix*it*' (saepe), 'spe*xit*', etc.

men m̄ (saepe), v. g. 'ta*men*'), 'no*men*'

pri p with i above (saepe), v. g. '*pri*vatus'

-*rum* ℞ (passim)

-*runt* r with 2 above et r̃ (saepe)

ter t̄ (passim), v. g. 'in*ter*', 'prop*ter*', 'prae*ter*', '*ter*ga'

ur m with 2 above 'mur', v. g. '*Mur*cia', 'sequi*mur*'

t with 2 above et t̄ 'tur' (passim), v. g. 'dicun*tur*', 'Sa*tur*nalia', 'spin*tur*nix'

us ' (passim) t' 'tus', n' 'nus', b' 'bus', ei' 'eius', etc.

Extra normam est (XII, xxi, 16) fornacalia parilia laral. 'Laralia'.

De litteris et apicibus haec animadvertenda. Pro *ae dipthongo* ę passim adhibetur. *I longa*, quae *i* vocalem in initio verborum (v. g. '*i*n') aut *i* consonantem (v. g. 'ma*i*or', '*i*entaculum') exprimere solet in codicibus Italiae meridionalis et cum littera *l* saepe confunditur, utrum in codice nostro adhibita sit vix constat. Nam quod v. g. in XII, xx, 9 apparet, id aut '*i*entacula' aut '*l*entacula' legi potest (cf. XV, i, 26 *i* longa inter puncta et XIV, ix, 30 *l* vel *i* longa pro 'i', i. e. 'ii'). Sed saepissime eadem littera apparet ubi *i* longae nullus locus est (v. g. XI, i, 16 eubo*l*cum, IX xxv, 4 acil*l*um, XIV, xiii, 24 uergil*l*us), unde colligas licet errorem scribae, aut nostri, aut prioris qui archetypum maiusculis litteris scriptum ante oculos habuit (cf. 348, 9 et 349, 1 *regiescit* pro *reglescit*). *Littera suprascripta* raro et nonnisi in fine versuum (IX, xxxi, 2 apu*d*, XV, iv, 1 cinciu*s*, XV, xxviii, 2 enniu*s*) invenitur. *Litterae ligatae* in fine maxime versuum (nt, ns, us, os, as, tu) adhibentur. *Vocales longae*

signo ^ saepe instruuntur (v. g. *tu*, m*e*, r*e*, cust*o*dum, temptau*e*re), aliquotiens apice (v. g. uictor*e*sque, tib*i*cinem, *e*ditam). *Punctum* saepe post lemma (verbum dico) ponitur, v. g. XIV, xvi, 10 (= 408, 6) Suillum · genus inuisum ueneri.

Qui autem laceros versus recte reconcinnare vult, sciat scribam verba non temere in fine versuum dividere sed normam semper aut sequi aut sequi velle (cf. 356, 19—20), adeo ut v. g. in 442, 32 ubi *scrib* in fine versus est, initio sequentis versus deperdito, possit aut scrib|tae aut aliquid eiusmodi coici, nullo tamen modo scrib|it. Cadunt igitur plurimae coniecturae, velut (428, 11) man|ifestum, (420, 24) so|l, (406, 28) parti|m, et forma strit|avum (pro strit|tavum, 414, 14). In dipthongis maior licentia fuisse potest. Saltem illud Pla|⟨utus⟩ (278, 25) per illud Pla|utus in superiore pagina (274, 15) defendi videtur.

De correctoribus codicis haec memorat Thewrewkius: „Quae peccaverat librarius ipse correxit locis his: IX, xxi, 30; XII, iv, 4; iv, 19, 20, 21; xii, 18; xiii, 17, 22; xx, 5—7 (an man. alt.?); xxviii, 3; XIII, i, 22; xxi, 34; XIV, ix, 22; xi, 4; xiii, 10 (man. alt.?), 15; XV, i, 1, 34. Altera manus correctrix his locis distinguitur: IX, xxiv, 1; XII, viii, 23; XIV, iv, 1; v, 3; xiii, 10; xxviii, 35; XV, viii, 33; xxiv, 3; xxxii, 30. Signum ÷ (quod correctiones postea faciendas videtur indicasse) in margine extat scriptum ad XIII, xxiv, 1; XIV, ix, 6, 22; XIV, xxviii, 2; XV, viii, 5; xvi, 5. R nota ['require'] in marginibus plerisque apparet . . . 'Cecus' vox interdum ab ipso librario in margine ascripta spectat ad lacunas propter scripturam archetypi evanidam relictas. Vide IX, xvii, 24; XII, i, 3—4; viii, 30; xiii, 18; xxi, 17, 34; XIII, xxiv, 34; XV, viii, 5; xiii, 27. Signum crucis cum punctis sociatum habes in margine XV, xvi, 16 (XV, xxiv, 11?); signum ex N et T compositum in margine XV, xiii, 11; signum ex N et b, ut videtur, compositum in margine XV, xxi, 24; signum X figurae speciem prae se ferens in margine XIII, xii, 8.“ Monet etiam Thewrewkius palimpsestam esse paginam qua quatern. XIV col. xxxi et xxxii continentur.

DE QUATERNIONIBUS VIII, X, XVI.

Manilius Rhallus, cui Festi codicem acceptum referimus, natu Spartanus erat et vero nomine Manilios Rhalles Kabakes. Eius vitam Gyraldus in libro de poetis suorum temporum sic describit: „Ex eadem Pontani Academia fluxere M. Marullus et Manilius Rhallus, ambo parentibus Graecis nati, in Italia enutriti, Latinis tamen literis magis imbuti atque invicem amici, uterque epigrammatum poeta; sed Rhallo Marullus cultior argutiorque, Marullo Rhallus fortunatior, quippe qui a Leone X his mensibus Cretensium sit pontificatu honestatus." Mortuus est a. 1517. Eum ante a. 1477 Festi codicem repperisse inde colligere licet, quod textus Paulinae epitomae eo anno Romae editus[1]) et cum textu codicis Lipsiensis (saec. xv) artissime cognatus multa ex Festo habet. In Illyrico codicem repertum fama erat, sed non satis certa. V. d. E. A. Loew, palaeographiae Italiae peritissimus, scripturam codicis ad scriptorium Romanum saeculi undecimi exeuntis revocat (Berl. Phil. Woch. 31, 917).

Codicem Pomponio Laeto, principi eius saeculi eruditorum urbanorum, cui Paulinae epitomae editio illa quam modo memoravimus missa est, in manus positum esse constat, et ab

---

1) Libri praefatio est haec: „Manilius Romanus Pomponio Laeto salutem. Nuper cum legissem Pompei Festi mutilatos libros qui priscorum verborum inscribuntur, vehementer dolui quod tantum opus integrum non remansit. Scripsit ille quidem ad totius antiquitatis utilitatem, sed puto inscitia superioris aetatis tam praeclarum munus nobis eripuit. Nam quidem nullius momenti sine nomine sine litteris ad Carolum Regem volumen diffusum et copiosum in sterile compendium redegit et credibile est reliquisse quae magis necessaria erant, ut saepenumero tu mecum questus es. Quod superest imprimendum curavi, ne alius forte audax et temerarius in peius reddat, et pro virili parte emendavi castigarique evigilavi, ut saltem si non integer fidelis tamen legatur. Vale. De Romaulis." Reitzensteinius (Verr. Forsch., Anh. 1) credidit eum Manilium Romanum neminem alium quam Manilium Rhallum esse; alii negant. Sane illud 'Pompei Festi mutilatos libros' ad Pauli epitomam spectare potest, quae a. 1471 primum edita, et saepe insequentibus annis, ita fere nominari solet.

eo partem retentam. Eam partem fuisse quaterniones VIII, X, XVI, qui apud Ursinum post Farnesiani textum leguntur, tum ex titulo quem praefixit Ursinus constat: „Schedae, quae Festi fragmento detractae apud Pomponium Laetum extabant“, tum ex Ursini praefatione: „Ab eo [scil. codice Farnesiano, ut nunc est] separavimus schedas illas, quas a Marullo [immo Manilio Rhallo] habuisse dicitur Pomponius Laetus, quod earum archetypum exemplar non extet, et pars altera paginarum, quae margini proximior ab igne mutilata fuit, neglecta ab iis, qui tunc fragmentum descripserunt, in praesentia desideretur. Quas autem nos edidimus, sunt illae quidem e doctissimi viri exscriptae chirographo“, etc. Unde autem factum sit ut quaternio XVI saepius in apographis appareat quam quaterniones VIII (IX) X, parum liquet[1]), cum fata codicis ante mortem Manilii non explorata habeamus. Post mortem eius, sed quo tempore incertum est, in manus venit Cardinalis Michaelis Silvii, qui eum testamento legavit Cardinali Rainutio Farnesio. Inde 'codex Farnesianus' (-sinus) appellatur.

Quaternionum hodie deperditorum apographa a doctis Italis scripta haec adhibui (*U V* ipse contuli):

U codicem Vat. lat. 3368 (chart.), Politiani manu ex ipso archetypo codice tam religiose descriptum, ut etiam de lacunarum magnitudine testimonium satis fidele reddere videatur. Nam maiores lacunas signo ☐ (aliquotiens bis terve posito) indicat, in minoribus lacunis quot litterae deesse videantur punctis significat. Hunc egregium libellum servavit e fatis malignis Petrus Victorius, cuius verba audi (Varr. Lectt. XVII, 2): „Cum supra ipse affirmarim me librum habere Sex. Pompeii, exscriptum de antiquissimo exemplari, totam rem accuratius, ut fides eius auctoritasque augeatur, commemorare volo. Angelus Politianus in LXXIII capite Miscellaneorum narrat se Romae accepisse a Manilio Rallo fragmen-

1) Quae de Politiano disputat Mommsenus (Ges. Schrift. 7, 271), ea nunc infirmata sunt, ipso Politiani apographo reperto (vide infra). Nec sane illud obliviscendum, quaternionem nonum, utpote difficilem lectu (cf. supra, p. VII), a scriba praeteriri posse

tum quoddam Sex. Pompeii, sanequam vetustum: nonnullasque itidem pagellas eiusdem exemplaris a Pomponio Laeto, quae omnia, ut ostendit illic, cum descripsisset, paucis abhinc annis ego incidi in adversaria quaedam ipsius in taberna libraria, quibus continebantur etiam hae reliquiae Festi, atque emi, manu Politiani cognita. Tanta tamen ille celeritate in scribendo usus fuerat, literisque adeo minutis, ac saepe etiam per notas totis vocibus indicatis, quod suum propriumque hominis erat, cum huiuscemodi aliquid, quod ipsius tantum usibus serviret, in commentariis adnotaret, ut vix intelligi possint." Viro doctissimo de Nolhac gratias debemus qui inter codices Ursinianos, qui in bibliotheca Vaticana conservantur, has schedas detexit. Octavum codicis archetypi quaternionem (cum nono) et decimum prius habuisse exscriptos videntur, cum folia 1—12 nunc desiderentur (cf. Huelsen, Berl. Phil. Woch. 9, 1099); amiserant tamen, antequam in Victorii manus venerunt, qui marginalia in exemplar Aldinae editionis, quod nunc in bibliotheca Monacensi est (L. Lat. 123^b, 2°), ex schedarum parte eadem, quae nunc exstat, sumpta adscripsit (cf. Mommsen, Ges. Schrift. 7, 277). Ursinus, in cuius bibliothecam eae schedae venerunt, usus est iis, id quod infra demonstrabitur, sed paulo remissius, deterritus, credo, obscuritate scripturae, neque eas nominatim memorat. Politianus ipse de suo apographo sic scripsit anno 1489: „Ostendit mihi Romae abhinc quadriennium Manilius Rallus Graecus homo, sed Latinis literis adprime excultus, fragmentum quoddam Sex. Pompei Festi (nam ita erat in titulo) sanequam vetustum, sed plerumque mutilatum, praerosumque a muribus. . . . Nonnullas quoque ex eodem fragmento Pomponius Laetus, vir antiquitatis et literarum bonarum consultissimus, sibi pagellas retinuerat, quas itidem legendas mihi describendasque dedit." Apographi Politiani pars quae nunc extat continet quaterniones archetypi codicis XI—XVI. Ante quat. XI est titulus: 'Ex Fragmento Festi Pompei'. In fine quat. XV est signum lacunae, tum duorum versuum spatium, in quo Politianus scripsit: +„Imperfectum.+ inveni et hoc." Sequitur apo-

graphum quat. xvi[1]. Quae Augustinus de Politiani apographo dicit sunt haec: „Eius libri advecti, ut ferunt, ex Illyrico, habuit aliquas pagellas Pomponius Laetus, ut Pius, ut Politianus scripserunt; maiorem libri partem Manilius Rallus. Ab his Angelus Politianus librum accepit, agnovit, et exscripsit... Ab eodem Politiani exemplo Petrus Victorius aliquot locis in variis lectionibus vulgares Festi libros emendare doctissime, ut solet, coepit. Pervenerunt ipsae reliquiae libelli [*i. e. codicis archetypi?*] ad Aldum Manutium.“ Certe si quando apographum, si modo fuit, quaternionum VIII, X, Politiani manu factum in lucem prodibit, ea pars libri Festini editoribus reconcinnanda erit.

V schedas Parisienses, libro impresso Bibliothecae Nationalis (Inv. Rés. X, 96; olim. X, 553[A]) additas manu Italica saec. XV[i]. medii. Sicut schedae Politiani, hae quoque quaterniones VIII, X archetypi codicis ignorant. Cum apographo *Z* artissime cohaerent, ex uno eodemque exemplo[1]) proculdubio descriptae.

W codicem Vat. lat. 3369 (membr.), idem illud 'doctissimi viri chirographum' quod Ursinus editioni suae adhibuit, quemadmodum v. d. Eug. Abel nuper agnovit (cf. Huelsen, Berl. Phil.Woch. 6, 1099). Ursinus enim sic praefatur: „Quas autem nos edidimus, sunt illae quidem e doctissimi viri exscriptae chirographo, aliis editionibus non modo emendatiores, verum etiam aliquot locis auctiores; ut si qua praeter haec in vulgatis sint, ea plane non esse Festi credendum sit, sed e Pauli epitoma aut aliunde petita.“ Quae hic codex inter lemmata *peremere, perihodos* (236, 31) praebet, ea memorare volo, explicare nequeo: peremat. (*tum litteris miniatis*) Sexti Pompei Festi lib. XII Mensa frugibus etc. Sexti Pompei festi lib. XIII. (*tum a manu altera, ut vid.*) Naenia est Principium Nostrae Pars secunda Numam Pomp. (*seq. unius versus spatium*). Periodos.

---

1) Eius exempli scriba adhibuerat notam, a scriba Farnesiani et omnibus antiquioribus scribis alienam, nā 'natura'. In schedis *nam* apparet! (cf. ad 510, 8).

X codicem Vat. lat. 1549 (chart., saec. XV), cuius in fine legitur epigramma 'ad lectorem':

> Haec quicunque leges fragmenta novissima Festi,
> concidet in lachrimas lectio cuncta pias:
> Quod iam Romano defluxerit orbita giro
> et magna careat parte Latinus ager.
> Absumpsit chartas nimium cariosa vetustas:
> si qua igitur menda est, codicis esse patet.

Mommseni (Ges. Schrift. 7, 272) ut verba usurpem: „Hoc exemplum qui confecit . . . etiam in paginis integris hic illic locos evanidos praeteriit, hiatum tamen plerumque indicans nota *deficit* vel *frag*. Glossas de suo addidit fere nullas nec repertas transposuit. Textus autem non solum vitiis scatet, sed etiam interpolationibus, maxime ubi glossae aut initio aut fine incidunt in pagellas ambustas. Paulum in his librarius passim adhibuit, sed non ea constantia, qua qui editionem principem curavit.“ Cum *X* 'liber Achillis Maffei' quem Augustinus editioni suae adhibuit, cognatus esse videtur (cf. Mommsen Ges. Schrift. 7, 277), qua de re infra dicam.

Y additiones et emendationes, quas codici Leidensi (Voss. lat. Oct. 9), ex ipso *X* descripto (cf. Mommsen l. c.), corrector quidam (non omnes correctores) intulit, e fonte prorsus simili codicis *Z* (vid. infra) haustas. Hic igitur testis non ubique praesto est.

Z codicem Vat. lat. 2731 (chart., saec. XV). Mommsenus eum sic memorat: „Deficiunt hodie in principio voluminis q. VIII et maior pars q. IX (nam incipit p. 177 a 30 Mue. *qui ferro*) deestque item quaternio X totus ita, ut librarius principium undecimi extremo nono continuarit; integer autem liber quid continuerit, non liquet, nec tuto statuemus quaternionem decimum ab initio inde afuisse; nam qui hunc librum scripsit cum alia quoque transposuerit, etiam decimum quaternionem in principio deperdito potest collocavisse loco non suo. Cum hoc libro proxime coniunctae sunt emendationes et additiones libro Leidensi supra memorato postea

illatae (nobis *Y*), quamquam desumptae sunt non ex ipso Vaticano, sed ex libro simili et subinde pleniore[1]); nam non solum perveniunt ad partem eam quoque quae in Vaticano desideratur, sed etiam in parte, quam habet Vaticanus, corrector Leidensis quaedam adnotat in Vaticano non reperta: ita indicatio infra relata post gl. *tigillum sororium* deesse chartas sex magnas adhuc reperta est in solo libro Leidensi [et in Parisiensi]. Extitit itaque olim exemplum Festi quaterniones quotquot supersunt complexum, unde pendent tam liber Vaticanus (*Z*) quam libri Leidensis emendationes (*Y*) [et *V*].... Haec qui examinarit duo intelleget diversa, ne dicam contraria: *X* et *ZY* [*V*] pendere quidem ex eodem archetypi codicis exemplo passim interpolato (nam consensus e. c. in glossis *tuguria, Tuscum vicum, toxicum* explicari aliter non potest), sed eosdem libros ita comparatos esse, ut sese invicem emendent paucisque tantum locis ... contra archetypum in falsa lectione consentiant, praeterea vero ut *ZY*[*V*] non pauca suppleant ab *X* omissa. Quarum positionum cum neutra negari possit, aut descendant necesse est tam *X* quam archetypus librorum *ZY*[*V*] ex codicis primarii exemplo deperdito utroque illorum emendatiore et pleniore, aut, quod magis crediderim, vir doctus is a quo proficiscitur recensio codicum *ZY*[*V*], nactus et exemplum antiquius libri nostri *X* simile et ipsum archetypum codicem talem fere, qualem habuit Politianus, illud ad hunc emendavit et auxit ita, ut locos a primo descriptore iam satis recensitos et expletos raro attingeret. Hoc ut magis statuam, movet me variae lectionis in q. VIII et X condicio a reliqua diversa; nam emendator Leidensis, quamquam illos quoque non minore diligentia quam reliquos castigavit, tamen perpauca in his invenit corrigenda et supplenda, quae alicuius sint momenti, integras autem glossas in *X* codice praeteritas non adiecit

---

1) „Cum glossam *perpetrat* p. 217 a 29 Mue. a scriba primario Leidensis male habitam secundus librarius ita emendet, ut praescribat: '*in antiquo est*', suspicere hunc vidisse ipsum archetypum; at secus esse constat ex iis quae mox dicentur."

nisi inde a principio litterae *S*[1]), ut in quaternionibus VIII et X videatur usus esse apographi ex quo venit *X* exemplo paullo meliore, in quaternionibus autem extremis, maxime in XVI, ipso archetypo.“ Ita Mommsenus, Parisiensibus schedis (*V*) nondum repertis, scripsit. Equidem suspicor fontem communem trium, *Z V Y*, non habuisse quat. VIII—X et in ea parte Leidensem correctorem (*Y*) ex alio fonte hausisse.

Sed utut ea res se habet, saltem haec sex apographa *U V W X Y Z* sic fere ordinanda sunt: — *V Y Z* pro uno codice habere licet, quocum cognationem aliquam habet *X*. Per se autem stant *W* et (omnium optimum) *U*. Quaterniones archetypi codicis VIII et X desunt in his: *U V Z*. Cum tamen *Y* ex emendationibus additamentisque constet, eius testimonium non continuo, sed hic illic tantummodo praesto est. Quanti igitur singula apographa sint aestimanda, disces, si ad quaternionem archetypi codicis XVI, ubi omnia praesto sunt, respicies. *U* proculdubio omnium fidelissimum (vide supra, p. XII), nisi quo dlitteras evanidas et locos lectu difficiles identidem praeteriit Politianus, satis feliciter exscripserunt *V Y Z* et *X* (cf. 500, 2—6); quo accedit ut in suspicionem cadat interpolandi in 500, 9—11, ubi versum ex Aulularia Plauti, ceteris apographis ignotum, exhibet. *W* plurima omittit eorum quae lectu difficilia erant (v. g. 492, 27—494, 15; 498, 16—500, 12), interdum locum refingit (v. g. 516, 11—13). *V Y Z* (vide supra) plura habent quam *X*, sed horum quattuor apographorum fons tam saepe peccavit interpolando (ex Epitoma), refingendo, lacunas praetereundo (v. g. 500, 8), ut eorum testimonium nonnunquam suspectae sit fidei (v. g. 492, 27). Subest igitur dubitatio de locis nonnullis qui hoc unico testimonio nituntur, praesertim de iis quos *X* omisit (v. g. 498, 31—32; sed cf. 508, 22—26).

Quae autem sit cognatio inter apographa et libros im-

---

1) „Certe in libro Leidensi emendator glossas integras addere coepit demum inde a p. 290 Mue.; primaque earum est haec: S nivio significat in carmine . . . augurali sonanti . . . Nec aliter puto esse in libro Vat. 2731.“

pressos si requires, invenies editionem principem cum *W* facere (v. g. 498, 16—500, 11 *om. ed. princ.*; 508, 18 Vectigal (*ceteris omissis*) *ed. princ.*); Augustinum cum *X* fere consentive (v. g. 492, 27—494, 14 *hab. Aug.*; 498, 31—32 *om. Aug.*); Ursinum apographo Politiani in quaternione archetypi codicis XVI usum esse videri, nam lemmata *temerare* (500, 7—8), *Teretinatibus* (498, 22), alia eiusmodi, eandem laceram formam in *Urs.* quam in *U* exhibent.

In quaternionibus VIII, X praesto sunt *WX* et hic illic *Y*, quorum testimonium raro in rebus alicuius momenti inter se discrepat (v. g. 124, 14—15 [et 216, 23] *om.* [*lacuna signata*] *X*, *hab. WY*). Ita p. 222 lemmata *promenervat, praedotiont, polteo, pretet tremonti, perfines* omisit *X*, propter obscuritatem, credo, sententiae, non scripturae; lemma *pretet tremonti* prioribus editionibus ignotum sumpsit Ursinus ex *W* ('doctissimi viri chirographo'). In lacunarum magnitudine indicanda saepe discrepant, sed in hac re neutrum esse testem fidelem credo (cf. 124, 20). Leidensis codex ex ipso *X* descriptus grandiorem lacunam in 130, 3 quam *X* indicat! Unum igitur fontem nobis repraesentant apographa in his duobus quaternionibus, neque habeo cur credam libros impressos[1]) ex alio auctiore aut meliore hausisse. Satis igitur habui Ursini et Augustini editionum lectiones tanquam virorum doctorum coniecturas adhibere; ne editionem quidem principem neque Aldinam (quae ex editione principe pendere videtur; ut in 118, 16—18, ubi eadem omissio) praecipuo honore dignas esse iudicavi, nisi quod in quibusdam paginis quaternionis decimi editio princeps ad idonei testis partes aspirare videtur.

Muellerianam (et Thewrewkianam) horum trium quaternionum distributionem obtinui, quoad potui, quae tamen hic illic novo apographorum testimonio aliquatenus improbata est.

---

1) Cum *X* etiam in hac parte consentit Augustinus v. g. 226, 26 a rupibus *om.* (*lacuna signata*) *X*, *om. Aug.*; 198, 28 lemma *Orestiades* om. *X Aug.*); sed interdum sequitur Aldinam editionem (v. g. 234, 2 Porca *X*: porta *W*: porta Romae *ed. princ Ald. Aug. Epit.*)

DE PAULI EPITOMA.

Libri Festini in Italia (meridionali?) conservati et satis noti vestigia habemus in Glossariis aliquot, quorum antiquissimum, litteris uncialibus scriptum, nunc in Vaticana bibliotheca est (Vat. lat. 3321), duo alia in Casinensi monasterio (cf. Goetz Meletemata Festina. 1887; Traube Regula Benedicti, p. 110). Ea quid ad Festi textum emendandum conferant erit in altero volumine locus investigandi. Hic satis habeo monere eorum lectiones nota *Gloss.* in apparatu meo signari. In fine saeculi octavi monachus Casinensis, Paulus ille Diaconus[1]) (cf. Neff de Paulo diacono Festi epitomatore. Erlangen, 1891), codice (Casinensi?) usus, aut eodem unde *F* descriptus est aut eius fratre gemello, epitomam confecit, „superflua quaeque", ut ipse dicit, „et minus necessaria praetergrediens et quaedam abstrusa penitus stilo proprio enucleans, nonnulla ita, ut erant posita relinquens", quam regi Carolo Magno misit.

Eius Epitomae codices hos adhibui (*EP Basil. Wirceb.* ipse contuli):

M Monacensem (olim S. Emmerami ad Ratisbonam) 14734, saec. x—xi.

P Cheltenhamensem Phillippsianum 816, ab Ellingero illo scriptum qui abbas Tegernseeensis intra annos 1019—1056 erat (cf. Class. Quart. 6, 91). Cum *M* artissime cohaeret, sed peior testis est. Testimonium igitur eius ibi tantum quaesivi ubi *M* testem nominatim citaveram, ut intellegeres quoties lectio Monacensis a communi duorum codicum parente hausta esset (*PM*), quoties a scriba Ratisbonensi falso inculcata (*M*).

L Leidensem Voss. 116, saec. x, nitide scriptum.

E Escorialensem (olim Gandensem) O III 31, saec. x, nitide scriptum.

---

1) Cum lectio deteriorum codicum increbuisset: EPISTOLA PAVLI PONTIFICIS AD CAROLVM REGEM, iure dubitatum est an illud *pontifex* ad Paulum Diaconum quadraret, donec Thewrewkius melioribus usus codicibus, verbum insiticium e titulo epistolae eiecit.

T Trecensem 2291, saec. x–xi. Plurima lemmata praetermisit scriba neglegentissimus (cf. Thewrewk Mél. Graux, p. 659), adeo ut *T* non ubique testis praesto sit.

G Guelferbytanum Aug. 10, 3, saec. x (quo ex codice descriptus est Vindobonensis 142, saec. x).

I Leidensem Voss. 37, saec. x–xi.

R Leidensem Voss. 135, saec. x–xi.

Basil. fragmentum Basileense (I, 9^a), saec. x. Habet 305, 8 (*aliquem sed unde*) — 313, 9 (*dicuntur*); 383, 3 (*Mercurio*) — 393, 6 (*in hortos*).

Paris. fragmentum Parisiense 7575 (fol. 3), saec. x–xi. Habet 503, 1 (*Tegillum*) — 505, 12 (cf. Thewrewk Mél. Graux, p. 659).

Wirceb. fragmentum Wirceburgense (s. n.), saec. x, in integumento codicis 'S. Mathiae extra civitatem Treverensem' sumptum, de quo Paulus Lehmann me certiorem fecit. Habet 77, 2 (*appellari*) — 78, 3; 92, 32—93, 26.

dett. Recentiores, quasi deteriores, nolo enumerare. Parisinos aliquot minoris momenti codices memoravit Thewrewkius l. c. (Mél. Graux, pp. 659—660). Minoris etiam sunt momenti, nec in apparatu meo memorantur, recentiores correctiones in *LI* et additicia lemmata (ex uno eodemque satis pravo exemplo exscripta) in *IR*. Henricus Omont (Bibl. École Chartes 42, 1) narrat Adsonem abbatem monasterii Montier-en-Der (968—992), profecturum Hierosolyma, quo in itinere mortuus est, reliquisse apud monachos suos et libros alios et 'Excerpta ex libris Pompeii Festi'; quo codice quid sit factum non constare.

α β Duae sunt codicum familiae, quarum prior et paulo melior (*α*) ex *MPLET Basil.* constat, altera (*β*) ex *GIR Paris. Wirceb.* (cf. Thewrewk l. c. et in studiis Festinis. Budapest, 1882), duobus ex archetypis codicibus ortae, ab ipso Pauli aevo proxime remotis. Epitomae igitur textus satis certus nobis est traditus, neque emendationi nisi artissimum[1])

1) In proarchetypo codice, minusculis proculdubio litteris scripto, e verbis *qui clam* (78, 27) factum est in duobus arche-

locum relinquit. Sane ex eis partibus ubi testimonium Festi codicis praesto est, cognosci licet quam saepe Paulus depravatum archetypi textum secutus sit (v. g. 345, 7 *divinitus* pro *diu intus*). Legentium tamen commodum postulabat ut in ceteris epitomae partibus non omnia inemendata relinquerentur.

DE FESTINI LIBRI EDITIONIBUS.[1])

ed. princ. Editio princeps[2]) prodiit Mediolani (ap. Io. Angelum Seinzenzeler) a. 1500: Nonius, Festus cum Paulo, Varro. Edidit totum librum Io. Baptista Pius; qui tamen Festum edendum curavit erat Conagus quidam, qui sic praefatur: „Lector. Si fragmenta Sesti Pompei Festi quae omnia reperta hic apposita sunt ab M. litera incipiendo usque ad calcem non sequestrata posita sunt, sed coniuncta aliis, id industria factum est, ne replicando legentes taedio afficiantur, et quia quaedam addita sunt quae non erant in exemplari Pii nostri, sed in alio eiusmodi. Quae adeo dura sunt, ut omnino recte constare non videantur; tamen ob temeritatem vitandam, et ne quid ipsorum fragmentorum omitteretur iusta exempla impressa sunt. Quae si Pius ipse, qui propter sui absentiam ea castigare nequivit, sed nec ipsius exemplar revidere dum imprimeretur, affuisset, correctiora haberentur. Itaque ne ipsi Pio attribuas eas additiones, quae sunt incorreptiores, ab alieno exemplari sumptas, inferius[3]) annotatae sunt.“ Carmen adiectum est hoc:

---

typis *quidam*. Emendatus locus in imo proarchetypi margine inculcatus est in textum amborum (cf. ad 20, 21). Nec Paulo ascribere potes illud *anacreon* pro *antehac* (7, 24), ubi Paulus ipse vel proarchetypi scriba aut añac aut an̄hac scripsisse videtur, nota an̄ 'ante' usus. De textu Pauli historiae Langobardorum in codicibus saec. IX et X mutato, et de Pauli non perfecta scientia linguae Latinae, cf. Waitz in script. rer. Langob. p. 19.

1) Muelleri verba in hoc capitulo usurpare studui, quoad potui.

2) Cf. Reitzenstein. Verr. Forsch. p. 98.

3) Significat deinde additamenta ea esse in glossis *satis* et *topper,* quae apud Conagum corruptissimae quidem, sed tamen leguntur, ut e Farnesiano codice eas fluxisse appareat. Aliter

Ad Festum alliciat qua te ratione Conagus,
Lector, adinvenit: consilium ipse probes.
Fragmenta apposuit, quae nunc superaddita cernes,
Cavit et ut coeant ordine quaeque suo.
Siqua latina parum fuerint seu dura, fatetur,
Ne depravaret, se variasse nihil.

Pius ipse sic praefatur: „Multa nos ad illustrandum hunc scriptorem contulimus, cum Mediolani doceremus. His quae nobis venerunt ex codice pervetusto et ob hoc fidelissimo, qui ex Illyrico Pomponio Laeto fuerat oblatus, plura additurus eram, ni me Bononiam patriam meam princeps Iohannes Bentivolius praeter spem redire coegisset, dum opus hoc esset sub incude."

In hac editione (et nimirum in Pii exemplari): „conflatae sunt" (sic Mommsenus) „Pauli epitome Festique integri reliquiae, in quibusdam litteris etiam traditus glossarum ordo temere mutatus, denique pagellae imperfectae plerumque praetermissae."

Ald. Eam Pii (vel Conagi) editionem, quae a Parisiensibus Nonii cum Festo et Varrone coniuncti editoribus a. 1511[1]) et 1519 repetita est, Aldus Manutius intulit in Cornucopiae Perotti (Venetiis, 1513). Augustinus, memoratis codice Farnesiano, Pomponii Laeti pagellis, et Politiani apographo, sic pergit: „Pervenerunt ipsae reliquiae libelli ad Aldum Manutium, qui conatus est cum Pauli epitome eas coniungere, et unum corpus ex duplicibus membris conficere. Sed tam multa omissa sunt, tam multa aliter edita, ut alios emendatores res desiderarit." Aldina editio et ab Aldo ipso saepius repetita et ab aliis transalpinis typographis.

Aug. Antonius Augustinus editioni suae (Venetiis, 1559)

---

autem comparatum est fragmentum quod ex alieno exemplari sumptum esse dicit 'per totum' et 'in quodam exemplari' coniunctum esse adicit cum glossa *Senonas Gallos* post vocem *transalpina* (454, 36), scilicet posteriorem partem glossae *Saticula* (458, 28 *triumviri* — 458, 31).

1) Huius editionis lectiones in apparatu critico meo nota 'ed. princ.' signantur.

sic praefatur post mentionem editionis Aldinae: „Simili ratione ex utroque libro [i. e. Festo et Paulo] confectus alter liber extat apud Achillem Mafeum, Bernardini Cardinalis fratrem, qui Aldino locupletior est. . . . Nos hoc amplius fecimus, ut lectores admoneremus quae Festi quaeque Pauli essent. Omnia quoque fragmenta Festi describi curavimus, nequid desiderari posset, in quibus interpretandis quam operam posuerimus, ex his, quae in commentariis adscripsimus, iudicare lector possit. Habuimus autem hoc monumentum antiquitatis ex locupletissima bibliotheca amplissimi viri Rainutii Farnesii Cardinalis, cui . . . a Michaele Silvio Cardinali ex testamento relictum est. In hac editione mutatus est verborum ordo Verrii, Festi, et Pauli, ut lector facilius, quid de quoque re scriptum sit, reperiat. . . . Sed quia ad manus nostras non pervenerunt omnia Festi fragmenta, notam addidimus iis, quae Festi esse arbitrabamur; ad ea vero, quae scimus eius esse, cognomen eius adscripsimus. Reperietur hoc in M. O. P. T. V. litteris. Ea ex Aldi et Mafei libris sumpsimus. In quibus poterit haec editio ab iis, qui eas pagellas habent, emendatior fieri.“ De quibus Muellerus: „Hunc Maffei librum cum A. Augustinus Aldino locupletiorem dicat, intelligitur ex hoc sumptas esse illas in literis T. et V. glossas, quae incognitae sunt Ursino omnes et pleraeque etiam Aldo. In margine A. Augustinus Pauli addidit variam lectionem ex aliis libris excerptam, quae in universum exigui est pretii; in Festo autem Farnesiani codicis, ubi vulgata lectio ab eo discesserat, lectionem saepe ac plerumque rectissime annotavit; in utroque vero, et Paulo et Festo, tot vitiosa verba coniectura ductus sanavit, ut dubitem, an nullus alius unus utrique grammatico tot locis profuerit quam A. Augustinus.[1]) Denique annotatio, quanquam a viro gravissimis negotiis occupato festinantius scripta, eam prodit

1) „A. Augustinus ipse in Notarum explanatione dicit, se semicirculo in margine significasse 'ex docti alicuius viri' coniectura ita posse emendari. Ubi vero non certior factus eram, alium v. d. correctionis alicuius esse auctorem, non poteram eam non ipsi Augustino assignare.“

Romanarum rerum cognitionem, quae etiamnunc nobis suspicienda ac deosculanda sit. Unum tamen est, in quo A. Augustinus Festo magis nocuit quam profuit, quod glossas omnes, quas Conagus quidem et Aldus magis ad codicis exemplum disposuerant, quam severissime ad literarum ordinem adstrinxit: quo potissimum factum est, ut genuini ordinis, quem ipse Verrius instituerat, pretium et utilitas in restituendo et explicando Festo omnes criticos latuerit."

Scal. „Hac Antonii Augustini editione" (pergit Muellerus) „tota nititur opera a Iosepho Scaligero in Festo posita. Hic neque codicem, neque ulla alia subsidia adhibuit, sed ex solo A. Augustini exemplari felicissima ingenii acie dispecto Festum magis auxit, quam alius quisquam criticus ex opulentissimo apparatu: imprimis eo quod earum Festi glossarum, quae igne vastatae sunt, non singula verba sed universum tenorem ita demonstravit, ut in plerisque dubitationi nullum locum reliquerit. . . . Magni viri admirationem non possum fortioribus verbis prodere, quam Lipsii, qui: 'Nihil posse divinius', proclamavit. Scaligeri Festus primum prodiit ex officina Petri Santandreani 1565. Continent haec exemplaria ea omnia quae in Venetis sunt: Verrii Flacci fragmenta collecta, Paulum et Festum eodem ordine dispositum, A. Augustini annotationes, sed his antepositas Scaligeri in Paulum et Festum castigationes." . . .

Urs. „Fulvius Ursinus" (etiam haec Muelleri esse scito) „ut nobili Farnesiorum domui deditissimus idemque acceptissimus erat, ita plenam habebat copiam Farnesiani codicis inspiciendi et pertractandi. Simul cum videret, certo et firmo gradu neque in emendandis neque supplendis Festi reliquiis procedi posse, nisi ipsius codicis forma diligenter observata, codicem ita exscripsit et typis excudendum curavit, ut singulis codicis columnis singulae paginae responderent, exceptis Pomponii Laeti schedis, quarum genuina forma ignorabatur; ac supplementa in illa Festi parte ita instituit, ut singulorum versuum vacua spatia explerent.[1]) Quae supple-

---

1) Ipsius Ursini autographum etiamnunc superest in bibliotheca publica Neapolitana, sub numero IV. A. 4., sed neque

menta quod Ursinus dicit, magnam partem ex Parisiensi editione se esse mutuatum, sed multa de suo addidisse; id singulis glossis diligenter comparatis ita se habere expertus sum, ut Ursinus in universum Scaligeri inventa spatiis tantum codicis, quae ille et parum noverat nec satis attendit, diligentius accommodaverit, quanquam etiam in hac re notis compendiisve scripturae saepe nimium abusus in unum versum plura, quam eo contineri possunt, infersit; sed res et sententias a se repertas paucis tantum locis invexit. . . . Ursini liber, cuius titulus est: 'Sex. Pompei Festi de verborum significatione fragmentum ex vetustissimo exemplari bibliothecae Farnesianae descriptum, impressum Romae apud Georgium Ferrarium 1581', primum vulgatus est ibidem apud Vincentium Accoltum 1582. Adiectas habet post fragmentum et schedas Notas in Festum et epitomam, breves, sed plerasque doctas et utiles Idem repetitus est Parisiis apud Petrum Santandreanum, 1583, paucis vitiis, quae typothetarum incuria in Romana exemplaria irrepserant, purgatus, sed multo pluribus et gravioribus inquinatus.

Goth. Dionysius Gothofredus Ictus in corpus suum Auctorum Latinae Linguae et Festi fragmentum cum schedis, ea forma qua ab Ursino editum erat, et Festum cum Paulo sic coniunctum, ut ab A. Augustino factum erat, recepit, et annotationem addidit, in qua praeter locos ex fontibus iuris civilis appositos nunc vix quicquam utile reperies.

Dac. Andreas Dacerius 'Sex. Pompei Flacci et Mar. Verrii Flacci de V. S. lib. XX' (haec enim absurdi libri inscriptio), 'notis et emendationibus', ut ait, 'illustravit in usum Delphini', Par. 1681, quae editio repetita, et integris Augustini, Scaligeri, Ursini notis aucta est Amstelodami 1700. . . .

Lindem. . . . Fridericus Lindemannus . . . in secundo Corporis Grammaticorum Latinorum tomo. . . . Pauli excerpta suo ordini restituit et Festum plane ab illo segregavit.

Egger. Quae prodierunt Parisiis (a. 1838) apud Bourgeois-Maze bibliopolam 'M. Verrii Flacci fragmenta post editionem

---

integrum, nec recte dispositum, neque in omnibus apicibus cum codice et Romanis exemplaribus plane consentiens.

Augustinianam denuo collecta atque digesta, Sexti Pompei Festi fragmentum ad fidem Ursiniani exemplaris recensitum, edidit A. E. Egger, in collegio Caroli Magni professor'; iis quanquam editor paucissima nova et sibi propria adiecit, insunt tamen in praefatione et in notulis adiectis quaedam, ad criticam horum librorum historiam enucleandam bene observata . . ."

Mue. Carolus Odofredus Muellerus editione sua, quae a. 1839 prodiit tamque bene nota est ut nulla memoratione mea indigeat, tribus illis sospitatoribus Festi, *Aug.*, *Scal.*, *Urs.*, se quartum addidit. Et cum saepissime emendatio loci Festini ita processerit, ut Augustinus omnium primus quid verum esset indicaverit, Scaliger totum locum reconcinnaverit, Ursinus eam reconcinnationem magis ad spatium in codice relictum aut magnitudinem codicis versuum accommodaverit, Muellerus denique excoluerit, perpoliverit, inde factum est ut emendationis laus partim huic, partim illi adsignanda sit. Vix igitur potui in apparatu critico meo ita suum cuique reddere ut brevitati studerem. Ignoscas igitur quaeso huiusmodi adnotatiunculis '*Urs. post Scal.*', '*Aug. fere*'; nam si verior alia forma adnotandi fuisset, eadem et prolixior. Muelleriana editio a. 1880 a Simmelio bibliopola Lipsiensi renovata est, adiectis plurimis coniecturis vv. dd. post Muellerum factis.

Momms. Festi codicis quaternionem decimum sextum denuo edidit Th. Mommsenus in commentatione lecta in Berolinensis academiae conventu d. 9 Iun. 1846 (= Ges. Schrift. 7, 269 sqq.), adhibitis apographis *XYZ* cum Politiani apographi eis lectionibus quas Victorius exscripserat (cf. supra, p. XIII). Idem in quinta editione libri Brunsiani, qui appellatur 'Fontes Iuris Romani Antiqui', multa hausit ex iis quae Thewrewkius de codicibus Pauli protulerat. Necnon in libro, quem de iure Romano scripsit, plurimos locos et Festinos et Paulinos feliciter emendavit.

Thewr. Editionis Thewrewkianae, cuius pars prima Budapestini a. 1889 prodiit, hic meus liber quasi partis alterius vices explere vult. Thewrewkius, qui primus Pauli codices

idoneos exquisivit, multa et ad Paulum et ad Festum emendandum contulit in plurimis commentationibus ('Mél. Graux' pp. 659—669; 'Festus-Studien', Budapest, 1882; Verh. d. 42 Phil. Vers., Leipz. 1894, p. 250; aliis Hungarice scriptis in 'Egyetemes Philologiai Közlöny').

Praeter editores hi potissimum emendationi textus operam dedere:

Goetz. Goetz ('Meletemata Festina' 1885; 'Nova Meletemata Festina', 1887; 'Ad Legem XII Tabb. adnotationes glossematicae', 1889),

Merck. Mercklin. ('Observationes ad Pompeii Festi Paulique excerpta', 1860),

Reitz. Reitzenstein. ('Verrianische Forschungen', 1887).

SIGLA.

E Escorialensis O III 31, saec. x.
F Farnesianus IV A 3, saec. xi.
F^ab „ teste Abelio.
F^ar „ „ Arndtsio.
F^c „ „ Croenerto.
F^k „ „ Keilio.
F^L „ „ E. A. Loewio.
F^u „ „ Ursino.
G Guelferbytanus Aug. 10, 3, saec. x.
I Leidensis Voss. 37, saec. x—xi.
L Leidensis Voss. 116, saec. x.
M Monacensis 14734, saec. x—xi.
P Cheltenhamensis Phillippsianus 816, saec. xi. in.
R Leidensis Voss. 135, saec. x—xi.
T Trecensis 2291, saec. x—xi.
U Vaticanus lat. 3368, saec. xv.
V Parisienses schedae (Inv. Rés. X. 96), saec. xv.
W Vaticanus lat. 3369, saec. xv.
X Vaticanus lat. 1549, saec. xv.
Y Leidensis Voss. lat. O 9 (saec. xv) corrector quidam.
Z Vaticanus lat. 2731, saec. xv.
Basil. Basileense fragm. I, 9^a, saec. x.
Paris. Parisiense fragm. 7575 (fol. 3), saec. x—xi.
Wirceb. Wirceburgense fragm. (s. n.), saec. x.
α consensus [1] codicum *MLE* (nam *T* non semper praesto est; *P* non semper adhibui).
β consensus [1] codicum *GIR*.

1) Sicubi unius codicis lectio defecit, singulos malui, qui praesto erant, memorare (v. g. ad 6, 25).

codd. consensus omnium codicum.	*ω* consensus librorum impressorum et manuscriptorum.

A. L. L.	Archiv lat. Lexikographie.	Merck.	Mercklinus.
Ald.	Aldina editio.	Momms.	Mommsenus.
Aug.	Ant. Augustinus.	Mue.	Car. Od. Muellerus.
Bue.	Buechelerus.	Reitz.	Reitzensteinus.
Dac.	Dacerius.	Ribb.	Ribbeckius.
Epit.	Epitoma.	Scal.	Scaliger.
Gloss.	Glossaria.	su. Ep.	supplevit Epitoma
Goth.	Gothofredus.	Thewr.	Thewrewkius.
Lindem.	Lindemannus.	Turn.	Turnebus.
		Urs.	Ursinus.

Scriptores secundum editiones Teubnerianas citavi (Ennii scaenica secundum Ribb., reliqua Ennii secundum Vahl.).

Minus certis vocabulis litteras inclinatas dedi, litteris minus certis puncta supposui.

Sicubi Muellerus in adnotatione sua falso de lectionibus codicum rettulerat, verasque tacite in textum acceperat Thewrewkius, eas in apparatu meo intra uncinos positas iteravi.

Denique, si cui displicet quod verba ea, quae obiter Verrius tractat (v. g. 2, 7 **augurium**; 2, 9 **spicio**), nullis insignioribus typis excusa sunt, scito me et eius rei et aliarum iacturam iubente bibliopola honestissimo fecisse, quo vilius emptus libellus plures lectores inveniret.

Dabam Andreapoli
die S. Andreae MCMXII.

W. M. LINDSAY.

P(ag.) 1 M(uell).
1 Th(ewr).

1 # DIVINAE LARGITATIS MUNERE SAPIENTIA POTENTIAQUE PRAEFULGIDO 1

DOMNO REGI KAROLO REGUM SUBLIMISSIMO PAULUS ULTIMUS SERVULUS.

Cupiens aliquid vestris bibliothecis addere, quia ex pro- 5
prio perparum valeo, necessario ex alieno mutuavi. Sextus
denique Pompeius Romanis studiis affatim eruditus, tam ser-
monum abditorum, quam etiam quarundam causarum ori-
gines aperiens, opus suum ad viginti usque prolixa volumina
extendit. Ex qua ego prolixitate superflua quaeque et minus 10
necessaria praetergrediens et quaedam abstrusa penitus stilo
proprio enucleans, nonnulla ita, ut erant posita, relinquens,
hoc vestrae celsitudini legendum conpendium optuli. In
cuius serie, si tamen lectum ire non dedignabimini, quae-
dam secundum artem, quaedam iuxta ethimologiam posita 15
non inconvenienter invenietis, et praecipue civitatis vestrae
Romuleae, portarum, viarum, montium, locorum tribuumque
vocabula diserta repperietis; ritus praeterea gentilium et
consuetudines, varias dictiones quoque poetis et historio-
graphis familiares, quas in suis opusculis frequentius po- 20
suere. Quod exiguitatis meae munusculum si sagax et sub-
tilissimum vestrum ingenium non usque quaque reppulerit,
tenuitatem meam vita comite ad potiora excitabit.

2 EXCERPTA EX LIBRIS POMPEI FESTI DE SIGNIFICATIONE VERBORUM.

Augustus locus sanctus ab avium gestu, id est quia ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu, quia
5 aves pastae id ratum fecerunt.
Augur ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium 2
gestus edicitur; sive ab avium garritu, unde et augurium.
Auspicium ab ave spicienda. Nam quod nos cum praepositione dicimus aspicio, apud veteres sine praepositione spi-
10 cio dicebatur.
Adfectare est pronum animum ad faciendum habere.
Armillum vas vinarium in sacris dictum, quod armo, id est humero, deportetur.
Aerarii tribuni a tribuendo aere sunt appellati. Aerarium
15 sane populus Romanus in aede Saturni habuit.
Apricum locum a sole apertum. A Graeco vocabulo φρίκη appellatur, quasi ἀφρικής, id est sine horrore, videlicet frigoris; unde etiam putatur et Africa appellari.
Amoena dicta sunt loca, quae ad se amanda alliciant, id
20 est trahant.
Adfecta femina vel in bonam partem dicitur, velut honorata, vel in malam, quasi ad extremum periculum adducta.
Aquagium quasi aquae agium, id est aquae ductus appellatur.
Aquaelicium dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibus-
25 dam elicitur, ut quondam, si creditur, manali lapide in urbem ducto.
Aqua dicitur, a qua iuvamur.

---

1 EXCERPTA PAVLI EX *E.* FESTI POMPEII *E.* SIGNIFICAT *M.* (*post. tit. non add.* LIBER I *codd.*) 3 ab av. ges. *om. IR.* gustu *L.* qui *L* (*per compend.*) *MPI.* 4 sig.] sanctificatus *L.* sic] sit $M^1 L$. gestatu *I* (e *expunct.*) *R.* 9 spicio *ex* scipio *E.* 11 Affectare *I.* 14 tribuni a] tributa *MPE* aere sunt appellati *om.* $L^1 E$. 16 φρίκη] fricis *codd.* 17 appellamus *dett.*: -atum *Thewr.* ἀφρικής] africis *codd.* honore T^1. 21 homo rata $M^1 G^1$: honerata *P.* 22 addicta *M.* 24 (cum *hic et ubique in codd.*) remidiis *MP* (vel remigiis *suprascr. P*). 27 Aqua Diuturna a *Neff.*

Aqua et igni tam interdici solet damnatis, quam accipiunt nuptae, videlicet quia hae duae res humanam vitam maxime 3 continent. Itaque funus prosecuti redeuntes ignem supergradiebantur aqua aspersi; quod purgationis genus vocabant suffitionem. 5

Axitiosi factiosi dicebantur, cum plures una quid agerent facerentque. Axit autem dixisse antiquos pro egerit, manifestum est; unde axites mulieres sive †dii† dicebantur una 3 agentes.

Alites volatu auspicia facientes istae putabantur: buteo, 10 sanqualis, inmusulus, aquila, vulturius.

Axamenta dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis sacerdotibus componebantur, in universos homines composita. Nam in deos singulos versus ficti a nominibus eorum appellabantur, ut Ianuli, Iunonii, Minervii. 15

Axis, quem Graeci ἄξονα dicunt, plures habet significationes. Nam et pars caeli septentrionalis, et stipes teres, circa quem rota vertitur, et tabula sectilis axis appellatur.

Ador farris genus, edor quondam appellatum ab edendo, vel quod aduratur, ut fiat tostum, unde in sacrificio mola 20 salsa efficitur.

Adoriam laudem sive gloriam dicebant, quia gloriosum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.

Arma proprie dicuntur ab armis, id est humeris, dependentia, ut scutum, gladius, pugio, sica: ut ea, quibus procul 25 proeliamur, tela.

---

1 ignitam̄ (*i. e.* igni tamen) *TL ex corr.*: igni *E*[1]: ignita *P*: ignis *M*[2] (-ni* *M*[1]): ignis tam *IR*. accipiuntur *Urs*. 6 factiosi *R*: faciosi *MPL*: fatiosi *E*: feciosi *I*. 7 (dix. ant. *codd.*) 8 axites *Scal.* (*cf. Gloss.* axitas · ἀποτελεσματικαί): axtes *codd.*: axitae (?) *Nettleship. 'Contributions'*: axitiosae *Goetz*. dii] viri *Scal.*: homines *conieceram* (*Class. Rev.* 5, 9): *fort.* alii. 10 butea *G*. 11 in mussulum *T*. uulturus *MP*. 12 salaria *codd.* Saliis] sa (*in fine versus*) *M*. 13 componebantur] canebantur *Dac.* homines] deos *Mue.* (*cf. Class. Rev.* 5, 9): heroes *Dammann*: semones *Hartung de religg. Rom.* 1, 42: *vix* omnes. 14 facti *Aug.* 15 *an* Ianuii? 17 stipis *MP*. 19 quondam *ex* quendam *R*. 25 pugio *ex* purio *M*. ut ea] et a *R*.

Armita dicebatur virgo sacrificans, cui lacinia togae in humerum erat reiecta. Legibus etiam Laurentum sanctum est, ne pomum ex alieno legatur in armum, id est, quod humeri onus sit.

Armentum id genus pecoris appellatur, quod est idoneum ad opus armorum. Invenies tamen feminine armentas apud Ennium (Ann. 598) positum.

Album, quod nos dicimus, a Graeco, quod est ἀλφόν, est appellatum. Sabini tamen alpum dixerunt. Unde credi potest, nomen Alpium a candore nivium vocitatum.

Albesia scuta dicebantur, quibus Albenses, qui sunt Marsi generis, usi sunt Haec eadem decumana vocabantur, quod essent amplissima, ut decumani fluctus.

Albiona ager trans Tiberim dicitur a luco Albionarum, quo loco bos alba sacrificabatur.

Albula Tiberis fluvius dictus est ab albo aquae colore; Tiberis autem a Tiberi<n>o Silvio, rege Albanorum, quod is in eo extinctus est.

Ambo ex Graeco ductum videtur, quod illi ἄμφω dicunt.

Ambactus apud Ennium (Ann. 605) lingua Gallica servus appellatur.

Am praepositio loquelaris significat circum, unde supra servus ambactus, id est circumactus dicitur.

Ambest ita tertiae personae verbum est, ut nullam aliam habeat declinationem.

Ambegni bos et verbix appellabantur, cum ad eorum utraque latera agni in sacrificium ducebantur.

Ambidens sive bidens ovis appellabatur, quae superioribus et inferioribus est dentibus.

Abemito significat demito vel auferto: emere enim antiqui dicebant pro accipere.

---

1 rogae *R.* humero *L ante corr.* 6 feminae G^1. 14 albionarium *I*: albinarum *R.* 16 est *om. R.* 17 tyberio *MPGI*: tiberino *codd. 558, 3 Th.* 26 Abegni *L.* uerbex I^1G^2 (uerb** G^1): ueruex *R.* 30 Abemitto *G*: Ambemito *Mue.* demitto *I.* auferto *ex* aufesto *M.*

5 **Ambarvales** hostiae appellabantur, quae pro arvis a duobus fratribus sacrificabantur.

Amburbiales hostiae dicebantur, quae circum terminos urbis Romae ducebantur.

Ambustus circumustus. 5

Ambitus proprie dicitur circuitus aedificiorum patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem quod aedificium: sed et eodem vocabulo crimen avaritiae vel affectati honoris appellatur.

Adolescit a Graeco ἀλδήσκω, id est adcresco, venit. Unde 10 fiunt adultus, adulescens: altare, eo quod in illo ignis excrescit; et exoletus, qui excessit olescendi, id est crescendi, modum; et inolevit, id est crevit.

Altaria sunt, in quibus igne adoletur.

6 **Aliuta** antiqui dicebant pro aliter, ex Graeco ἀλλοίως trans- 15 ferentes. Hinc est illud in legibus Numae Pompili (15); „Si quisquam aliuta faxit, ipsos Iovi sacer esto.“

Astu apud poetas astutiam significat, cuius origo ex Graeco [oppido] ἄστυ deducitur, in quo qui conversati assidue sint, cauti atque acuti esse videantur. 20

Astutus arte tutus.

Algeo ex Graeco ἀλγῶ ducitur, id est doleo, ut sit frigus dolor quidam membrorum rigore coniectus.

Ast significat at, sed, autem.

Anus dicta est ab annorum multitudine, quoniam antiqui 25 non geminabant consonantes; vel quod iam sit sine sensu, 5 quod Graece dicitur ἄνους.

---

1 dicebantur *G*. duobus] duodecim *Aug.*, *Henzen*. 3 Amburbales *M*. (dicebantur *codd.*) 4 dicebantur *PM*[1]*G* 6 circumitus *GR*. 10 ἀλδήσκω *Mue.*: oaliso *α* (*ex* aoliso *L*): aliso *β*. accresco *I*: acresco *R*. 14 igneodoletur *M*: ignis adoletur *I*. 15 ex gre *G*[1]. ἀλλοίως *scripsi*: id ἀλλοίως *Lindem.*: adallios *G*[1]: adalius *M*: idallios *G*[2]: idallius *TL*[1]*E*: id alios *IRP*: *an* id est ἀλλ.? 17 ipsus ioui *GR*: ipse sioui *M*[1]. 19 opp. *seclusi*: ab oppido *T* asty *T*: astu *MPLG*: asti *EIR*. 20 uidebantur *R*. 21 (Ast. art. tu *codd.*) 22 Al*geo *M*[1]*G*[1]. 23 dolor *om.* *G*[1]. *vix* conlectus *L*: confectus *Merck*. 24 (sed au. *codd.*) 27 ἄνους] nus *codd.*

Amussim regulariter, tractum a regula, ad quam aliquid exaequatur, quae amussis dicitur. Quidam amussim esse dicunt non tacite, quod muttire interdum dicitur loqui.

Adgretus, apud Ennium (Ann. 588) „adgretus fari“, pro
5 eo, quod est adgressus, ponitur, quod verbum venit a Graeco ⟨ἐγείρομαι⟩ [surgo].

Agnus ex Graeco ἀμνός deducitur, quod nomen apud maiores communis erat generis, sicut et lupus, quod venit ex Graeco λύκος.

10 **Aegrum** ex Graeco ἀνιγρόν appellatur; a quibusdam putatur a voce doloris appellari, quod est αἴ.

Annus ex Graeco venit, quem illi ἔννον dicunt, et quod nos trimum, illi dicunt τρίεννον.

Alterum Sinnius ait idem significare, quod apud Graecos
15 ἕτερον. Quidam vero ex utroque esse compositum, ἄλλος et ἕτερος. Alter et pro non bono ponitur, ut in auguriis altera cum appellatur avis, quae utique prospera non est: sic aliter 7 nonnumquam pro adverso dicitur et malo.

Aliesis dies dicebatur apud Romanos obscenissimi ominis,
20 ab Allia fluvio scilicet, ubi Romanus fusus a Gallis exercitus est.

Adlecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numero adsumpti. Nam patres dicuntur, qui sunt patricii generis: conscripti, qui in
25 senatu sunt scriptis adnotati.

Altercatio iurgatio.

Alternatio per vices successio.

Alma sancta sive pulchra, vel alens, ab alendo scilicet.

Altellus Romulus dicebatur, quasi altus in tellure, vel quod
30 tellurem suam aleret; sive quod aleretur telis; vel quod a

---

3 tacitate *MP.* mutire *IR.* 4 Aggretus *I*: Agręcus *corr.* Adg- *R.* 5 Graeco] uerbo *T.* 6 surgo *seclusi* ἐγείρομαι *Mue.*: ἐγείρω *recc.* 7 Agnos *codd.* (-nus *E*). 10 anigron *codd.* (-an *I*: migron *T*). 12 nostri annum illi *MP.* 13 triennon *α*: triennum *GI*: triennium *R.* 14 Alternum *R.* 16 Alter] (*null. nov. lemma in codd.*) 17 uterque *R.* sic alter *MT.* 19 Alliesis *Tβ.* 22 Allecti *I.* 25 senatu sunt *MPE*: senatus sunt *β.* scripti G^1. 30 areretur M^1. tellis *Loewe Prodr. p. 12.*

Tatio Sabinorum rege postulatus sit in conloquio pacis, et alternis vicibus audierit locutusque fuerit. Sicut enim fit diminutive a macro macellus, a vafro vafellus, ita ab alterno altellus.

Altus ab alendo dictus, alias ab altitudine altus. 5

Alterplicem duplicem. 6

Alterta alterutra.

Alcedo dicebatur ab antiquis pro alcyone, ut pro Ganymede Catamitus, pro Nilo Melo.

Alica dicitur quod alit corpus. 10

Alicariae meretrices appellabantur in Campania solitae ante pistrina alicariorum versari quaestus gratia, sicut hae, quae ante stabula sedebant, dicebantur prostibula.

Almities habitus almarum rerum.

Allus pollex scandens proximum digitum, quod velut insiluisse in alium videatur, quod Graece ἅλλεσϑαι dicitur. 15

8 **Alveolum** tabula aleatoria.

Alvus venter feminae ab alendo dicta. Est enim generis feminini.

Angor id est animi vel corporis cruciatus, proprie a Graeco †anchedellin†, id est strangulatione, dictus; unde et faucium dolor angina vocatur. 20

Antigerio antiqui pro valde dixerunt.

Antehac Terentius pro antea ponit.

Anteurbana praedia urbi propinqua. 25

Antarium bellum, quod ante urbem geritur.

Axare nominare.

---

3 mucro *R*. 3–4 altero atellus *L ante corr.* 7 Altertra *Aug.* alteruta *MP* 9 nihilo *I*[1]. 11 (appellabantur *codd.*) campaniae *I*. 12 pristina *MPTE*[1] (?): pristi pistrina *R*. 13 stabulas *T*. 15 A(l)lux *Gloss.* (*sed cf. p. 72 Th. inf.*) 16 allesthe (-te *E*) di. *codd.* 17 Aluiolum *β*. 18–19 (gen. fem. *codd.*) 20 (Ang. id est *codd.*) a Graeco *om. G*[1]. 21 ἄγχειν τὴν δειρήν *Thewr.* 22 (*post* vocatur *nihil add. codd.*) 24 Antehac *Lindem.*: Anacreon *codd.* (*ex* ānac, *i. e.* anteac ?) posuit *P*. 27 Anaxare *Gloss.*: Anxare *Warren. 'on Lat. Gloss.' p. 130*, *Goetz. nov. melet. Fest. p. 1.*

Antipagmenta valvarum ornamenta, quae antis adpinguntur, id est adfiguntur.

Antefixa, quae ex opere figulino tectis adfiguntur sub stillicidio.

5 **Aureax** auriga. Aureas enim dicebatur frenum, quod ad aures equorum religabatur; orias, quo ora cohercebantur.

Auritus a magnis auribus dicitur, ut sunt asinorum et leporum, alias ab audiendi facultate.

Aurum dictum, quia praecipue custoditur. Graece enim ὠρεῖν 10 custodire dicitur; unde et thesaurum. Hippocrates medicus de nomine inventoris id dictum putat, quem vocitatum ait 9 Aurion. Quidam ad similitudinem aurorae coloris nomen traxisse existimant; nonnulli, quia mentes hominum avertat; alii a Sabinis translatum putant, quod illi ausum dicebant.

7 **Aurichalcum** vel orichalcum quidam putant compositum ex 16 aere et auro, sive quod colorem habeat aureum. Orichalcum sane dicitur, quia in montuosis locis invenitur. Mons etenim Graece ὄρος appellatur.

Acus dicitur, qua sarcinatrix vel etiam ornatrix utitur. Pa-20 leae etiam quaedam de frumento acus dicuntur; exercitus quoque instructio, quod ea pars militum vehementissima est ad hostem vulnerandum acumine telorum. Totum autem ex Graeco sermone trahitur, quoniam sarcire apud illos ἀκέσασθαι dicitur.

25 **Adsiduus** dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alii assiduum locupletem, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alii eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando vocatum aestimarunt.

---

1 Antipacmenta *MP*. ualuare *α*. antis] anteis *MPTE*: antehis *Lβ*. 2 adfinguntur (*aff*-) *IR*. 3 sub] super *Mue*. 5 auriga *om*. *G*[1]. dicebant *Urs*. ad *om*. *G*[1]. 8 audiendo *G*. 9 ὠρεῖν] orin *codd*. 10 Hypsicrates *Scal*. medicus *om*. *T*. 11 inv. indictum (inditum *I*) *β*. 12 auryon *MTβ*. 14 alii *ex* alia *M*: ali *P*. aufum *codd*.: *corr*. *dett*. dicunt *T*. 20 ⟨acies⟩ ex. *Scal*. 22 hoste *G*. 23 acesasthe *PMTEG*: aceshaste. *LI*: acesa est he *R*. 25 Assiduus *TLI*. 26 adsiduum *R*. 28 ab asse dendo *T*. (aestimarunt [-mauerunt *L*] *codd*.)

Andruare id est recurrere a Graeco verbo ἀναδραμεῖν venit; hinc et drua vocata est.
Antroare gratias referre. Truant moventur. Truam quoque vocant, quo permovent coquentes exta.
Acupedius dicebatur, cui praecipuum erat in currendo acumen pedum. 5
Adrumavit rumorem fecit, sive commurmuratus est, quod verbum quidam a rumine, id est parte gutturis, putant deduci.
10 **Acieris** securis aerea, qua in sacrificiis utebantur sacerdotes.
Aplustria navium ornamenta, quae quia erant amplius quam 10 essent necessaria usu, etiam a[m]plustria dicebantur.
Agina est, quo inseritur scapus trutinae, id est, in quo foramine trutina se vertit, unde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur.
Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; 15 hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis; Agonalia eius festivitatem. Sive quia agonos dicebant montes, Agonia sacrificia, qnae fiebant in monte; hinc Romae mons Quirinalis Agonus et Collina porta Agonensis. 20
Agonium id est ludum, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo; cuius festa Agonalia 8 dicebantur.
Agea via in navi dicta, quod in ea maxime quaeque res agi solet. 25
Agonias hostias putant ab agendo dictas.
Albogalerus a galea nominatus. Est enim pilleum capitis, quo Diales flamines, id est sacerdotes Iovis, utebantur. Fiebat enim ex hostia alba Iovi caesa, cui adfigebatur apex virgula oleagina. 30

---

1 ἀναδραμεῖν] andramin *codd.* (andromin *L ante corr.*) 2 hunc *G*. 3 mouent *L*. 5 acumen] autem *IR*. 7 Aduminauit *L*. cum murmuratus *L*[1] *G*. 8 a parte *T*. 11 aplustria *α R*: amplustria *GI*. 15 rex etiam ho. *I*. 18 (agonos *codd.*) agonus *MP*: agonas *T*. 20 egonus (-num *T*) *codd.* (*corr. R*). egonensis *codd.* (*corr. R*). 21 Agonum *α G*[2] *R*. 27 Albogarelus *E*[1]. 28 quod *I*. fit *L*. 29 capix *TLEP*.

Apluda est genus minutissimae paleae frumenti sive panici, de qua Naevius (Com. 117): „Non hercle apluda est hodie quam tu nequior.“ Sunt, qui apludam sorbitionis liquidissi- 11 mum putent genus, quod flatu deiciatur et quasi adplodatur.
5 **Aridum** proprie est, quod naturalem humorem amisit. Dicitur autem per contrariam significationem, quod inrigari desierit. Nam ἀρδεύειν Graece inrigare est.
Aptus cum propria significatione intellegatur, poni tamen solet pro adepto, sicut [et] apisci pro adipisci.
10 **Area** proprie dicitur locus vacuus, quasi exaruerit et non possit quicquam generare.
Angulus a Graeco ἀγκύλον venit, sive ab eo, quod est ἐγγύς, id est prope, quod adducantur quae ex diverso coacta faciunt anguli formam.
15 **Adfines** in agris vicini, sive consanguinitate coniuncti.
Anclare haurire a Graeco descendit. Livius (trag. 30): „Florem anclabant Liberi ex carchesiis.“
Anclabris mensa ministeriis aptata divinis. Vasa quoque in ea, quibus sacerdotes utuntur, anclabria appellantur.
20 **Ancunulentae** feminae menstruo tempore appellantur; unde trahitur inquinamentum.
Antras convalles vel arborum intervalla.
Arferia aqua, quae inferis libabatur, dicta a ferendo; sive vas vini, quod sacris adhibebatur.
25 **Affatim** dictum a copia fatendi, sive abundanter. Livius

---

1 flumenti *M ante corr.* panicii (-cu) *β*. 2 non hordea pluda *R*. 3 quantum *G*[1]. (quātum)equior *ex* nequior *L*. 4 flato *M ante corr.* 7 ἀρδεύειν] ardeuuim *M*: ardeuium *P*: ardeuuin *GT*: ardeuum *LE*: ardeuuum *IR*. 9 adepito *MP*. et *hab. GI*: *om. cett.* Apisci (*nov. lemm.*) *E* 12 ancylon *MPLβ*: ancilon *E*: ancilo *T*. 13 quod *hab. E*: *om. cett.* pr. Aduncantur (*nov. lemm.*) *Lindem.*: *fort.* pr. quod (*vel* quia) ⟨prope⟩ ad. 14 angulis *MP*. 15 Affines *I*: Acfines *G*[2]. 16 Andare *G*[1]. 17 anhelabant *T*: anculabant *Scal.* charchesiis *MPTEGR*. 18 (apt. [apta *T*] div. *codd.*) 19 ea in *T*: aenea *dett.* andabria *G*. 20 Anculunentae *GI*: Anculumente *R*. menstruae *G*[1]. 22 Ancras *Gloss.* arborum *vel* arvorum *Gloss. Placidi* 23 lababatur *G*[1]: lauabatur *G*[2]. 25 fatendi] fandi *Nettleship*. libius *α*.

(com. 4): „Affatim edi, bibi, lusi.“ Terentius affatim dixit pro eo, quod est ad lassitudinem.

12 **Ammenta**, quibus, ut mitti possint, vinciuntur iacula, sive solearum lora; ex Graeco, quod est ἅμματα, sic appellata, vel quia aptantes ea ad mentum trahant. 9 5

Adtegrare est vinum in sacrificiis augere. Integrare enim et adtegrare minus factum est in statum redigere.

Adtritum et tritum ex Graeco descendit, quia illi vestem tritam τρίβωνας appellant.

Adtestata dicebantur fulgora, quae iterato fiebant, videlicet significationem priorum adtestantia. 10

Adtibernalis habitator continuae tabernae, quod genus domicilii antiquissimum Romanis fuisse testimonio sunt exterae gentes, quae adhuc tabulatis habitant aedificiis; unde etiam tecta castrensia, quamvis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur. 15

Attae appellantur, qui propter vitium crurum aut pedum plantis insistunt et adtingunt terram magis quam ambulant, quod cognomen Quintio poetae adhaesit.

Attam pro reverentia seni cuilibet dicimus, quasi eum avi nomine appellemus. 20

Adagia ad agendum apta.

Adasia ovis vetula recentis partus.

Abrogare infirmare.

Ad aut proprie personam significat, ut: eo ad Pompeium; aut locum, ut: abit ad theatrum. 25

Apud mutuam loci et personae coniunctionem demonstrat, ut cum dicimus: ceno apud amicum.

13 **At** differentiam rerum significat, ut cum dicimus: Scipio est bellator, at Marcus Cato orator. 30

---

1 adfatim dixit *PM*. dixit *om. R*. 3 Amenta *β* 4 ἅμματα] ammata *α*: amata *GI*: annata *R*. 6 Att- *β*. 7 att- *β*. 8 Att- *β*. 10 Att- *β*. 12 Att- *β*. 18 terram magis *TLE*: magis terram *MPβ*. 19 (quintio [-ncio *R*] *codd.*) 20 Attin *codd.* 21 appellamus *G*[1]. 25 propriam *I*. 26 abit ad *EI*: habitat *LGRPM* (*ras. post* -at): abiit ad *T*.

Addicere est proprie idem dicere et adprobare dicendo; alias addicere damnare est.

Aedis domicilium in edito positum simplex atque unius aditus. Sive ideo aedis dicitur, quod in ea aevum degatur, quod
5 Graece *αἰών* vocatur. Itaque aedificare cum sit proprie aedem facere, ponitur tamen *καταχρηστικῶς* in omni genere constructionis.

Aedituus aedis sacrae tuitor, id est curam agens.

Aeditimus aedis intimus.

10 **Aedilis** initio dictus est magistratus, quia aedium non tan-
10 tum sacrarum, sed etiam privatarum curam gerebat. Postea hoc nomen et ad magistratus translatum est. Dictus est autem aedilis, quod facilis ad eum plebi aditus esset. Sed et aedilatus dicebatur eadem dignitas, sicut pontificatus, ma-
15 gistratus.

Atrium proprie est genus aedificii ante aedem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluvia descendit. Dictum autem atrium vel quia id genus aedificii Atriae primum in Etruria sit institutum, vel quod a terra
20 oriatur, quasi aterrium.

Avus, patris matrisque pater, dictus a Graeco vocabulo, quod est apud eos *πάππος*, mutatis quibusdam litteris. Alii volunt, quod ex ea voce appelletur, quod apud eosdem Graecos *αὖος* appellatur, significatque magnum, quoniam veluti
25 magnus pater sit avus. Alii putant avum dictum esse, quia ad duos attineat, quasi adduum vel quia ad patrem sit additus.

Abavus dicitur, quia abest ab avo et est avus avi.

---

5 *αἰών*] aeonion *aIR*: aenion *G*. 8 tuitor *MGIR ante corr.*: tutor *TPLER ex corr.* 10 *ab* Aedilis *null. nov. lemm. in LG.* mag. *secl. Scal.* quia] qui *dett.* 12 mag. ⟨curules⟩ *Mue.* dictum *MP.* 13 aditur *M*[1]. 14 aedilatus] *an* aedilitas? dic. si. pont. ead. dign. mag. *β*. *Vide ne* si. pont. mag. *glossa marginalis fuerit.* 17 in *om. I.* collectam *MP.* 17–18 desc. dic. au. atr. *suppl. in marg. G.* 19 Atriae] atrii* *M*: atrii (*ex* atrian?) *L ex corr.*: atrii *P.* 23 appelletur appellatur *T.* 24 graeco *M.* ayos (-oc) *codd*: *αὖς* *Mue.* 25 quia] quod *L*, 26 uel quod *L.* 27 quia] quod *L.* 28 ab *om. T.*

At[t]avus, quia atta est avi, id est pater, ut pueri usurpare solent.

14 **Avunculus**, matris meae frater, traxit appellationem ab eo, quod aeque tertius a me, ut avus, est, sed non eiusdem iuris; ideoque vocabuli facta deminutio est. Sive avunculus 5 appellatur, quod avi locum optineat et proximitate tueatur sororis filiam.

Amita patris mei soror, quia similiter tertia a me sit atque avia, videri potest dicta ex eo, quod ab antiquioribus avita sit vocitata. Sive amita dicta est, quia a patre meo amata 10 est. Nam plus sorores a fratribus, quam fratres diligi solent, videlicet propter dissimilitudinem personarum, quae ideo minus habent dissensionis, quo minus aemulationis.

Avillus agnus recentis partus.

Agnus dicitur ἀπὸ τοῦ ἁγνοῦ, quod significat castum, eo 15 quod sit hostia pura et immolationi apta.

Avere nihil aliud est, quam cupere. Argumento est avidum et aviditatem, ex quibus praecipua cupiditas intellegitur, cum significet et gaudere.

Adscripti dicebantur, qui in colonias nomina dedissent, ut 11 essent coloni. 21

Adsciscere est adiungere vel adsumere.

Adscripticii vel, uti quidam, scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur. Hos et accensos dicebant, quod ad legionum censum essent adscripti. Quidam velatos, quia 25 vestiti inermes sequerentur exercitum. Nonnulli ferentarios, quod fundis lapidibusque proeliaturi ea modo ferrent, quae in hostes iacerent. Alii rorarios, quod id genus hominum, antequam acies coirent, in modum rorantis tempestatis dimicaret.

---

1 Attauus *codd.* (*ex* Atta est *L*) 4 ut auus est *om.* *L*[1]. 7 filium *Aug.* 8 quia] quod *L.* 9 uideari *MP.* avita] auitta *IR.* 10 uocita *M*: uocata *P.* quia] quod *L.* 13 elationis *T.* 14 Auillas *codd.* 15 eo *om.* *L.* 17 Arg. esse *Lindem.* 18 praecipuae *L*[1]. 20 Ascr- *I.* 22 Adsiscire *E*: Adsiscere *M*: Asciscere *I*: Assciscere *P.* 23 Adscriptitii *G*: Ascripticii *I.* scripti] adscriptivi *Walch ap. Reitz.* 25 quia] quod *L.* 28 roraros *β*.

Auctarium dicebant antiqui, quod super mensuram vel pondus iustum adiciebatur, ut cumulus vocatur in modio.
Auctum vocabatur spatium circi, quod super definitum modum victoriae adiungitur.
5 **Argennon** argentum percandidum.
Arbiter dicitur iudex, quod totius rei habeat arbitrium et facultatem. 15
Amicinum utris pediculum, ex quo vinum defunditur.
Arbosem pro arbore antiqui dicebant et robosem pro robore.
10 **Arbitrium** dicitur sententia, quae ab arbitro statuitur. Arbitrarium cum adhuc res apud arbitrum geritur.
Amicitiae vocabulum ab amore deducitur, quamvis interdum vituperandus sit amor. Ab antiquis autem ameci et amecae per E litteram efferebantur.
15 **Adpromissor** est, qui, quod suo nomine promisit, idem pro altero quoque promittit.
Adversus aut contrarium significat aut idem quod erga.
Arcere est continere. Unde et arcus in aedificiis dictus est, quia se ipse continet. Alii dicunt arcum dictum esse ab opere
20 arrigendo in altitudinem.
Arcirma genus plaustri est modici, quo homo gestari possit.
Argeos vocabant scirpeas effigies, quae per virgines Vestales annis singulis iaciebantur in Tiberim.
Arcere prohibere est. Similiter abarcet prohibet. Porcet
25 quoque dictum ab antiquis, quasi porro arcet. Et pro eo,
12 quod est continet, ponitur; unde coercere continere dicimus. 16
Trahitur autem hoc verbum a Graecorum magistratu, quem illi ἀρχήν vocant, in cuius potestate est vel cogere, vel prohibere.
30 **Arcani** sermonis significatio trahitur sive ab arce, quae tu-

---

8 Amicinus *Gloss.* diffunditur *L T I.* 11 apud arbitrium *M P*: apud arbitrem *R*². 13 amici *E.* 14 efferebatur *M P.* 15 qui quod quis suo *Bruns.* 16 promisit *β.* 17 (Adv. — erga *codd.*) 21 Arcima *T I*: Acirma *R*: Arcera *Goetz.*, *fort. recte* quo] quod *M P* 22 Argeo (*corr.* -ea) *L.* 24 abercet *codd. infra, 24, 4* portet *codd.* (-rc- *T ut vid.*) 25 arcet. Et *distinxi* 30 Arcani *E P*: Archani *L T I R*: Arcanis *G.*

tissima pars est urbis; sive a genere sacrificii, quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum a notitia vulgari, ut ne litteris quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur; sive ab arca, in qua quae clausa sunt, tuto manent, cuius ipsius origo ab arcendo pendet. 5

Arculum appellabant circulum, quem capiti inponebant ad sustinenda commodius vasa, quae ad sacra publica capite portabantur.

Arculus putabatur esse deus, qui tutelam gereret arcarum.

Arculata dicebantur circuli, qui ex farina in sacrificiis fiebant. 10

Arcula dicebatur avis, quae in auspiciis vetabat aliquid fieri.

Asseres dicti, quod assideant parieti trabibusque.

Assaratum apud antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino et sanguine temperatum, quod Latini prisci sanguinem assyr vocarent. 15

Ambrices regulae, quae transversae asseribus et tegulis interponuntur.

Antes sunt extremi ordines vinearum. Unde etiam nomen trahunt antae, quae sunt latera ostiorum.

Ambitus proprie dicitur inter vicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictus. 20 Ex quo etiam honoris ambitus dici coeptus est a circumeundo supplicandoque. Ambitio est ipsa actio ambientis.

Amnis proprie dicitur a circumnando, quoniam am ex Graeca praepositione sumptum, quae est *ἀμφί*, significat circum, et 25 nare fluere.

17 **Ambiguum** est, quod in ambas agi partes animo potest. Huiusmodi apud Graecos *ἀμφίβολα* dicuntur.

Ambrones fuerunt gens quaedam Gallica, qui subita inundatione maris cum amisissent sedes suas, rapinis et praeda- 30 tionibus se suosque alere coeperunt. Eos et Cimbros Teoto- 13

---

1 pars urbis est *β*. 3 successorem *MP* (*ex* successione). 4 (tuto *codd.*): tuta *R*. 11 Arculam *M*: Arciua *Gloss.* uetebat *L*[1] *E*[1] *ut vid.* 12 adsideant *PMTER*. 15 assyr *codd.*: asser (aser) *Gloss.* uocarunt *TLE*. 16 Acobrices *β L*[2]: Abices *Gloss.* (?) 23 *ab* Ambitio *nov. lemm. in codd.* 24 cirnando *L*. (quoniam *codd.*) am *om α*. 29 subito *L*.

nosque C. Marius delevit. Ex quo tractum est, ut turpis vitae homines ambrones dicerentur.

Antiae muliebres capilli demissi in frontem appellati ex Graeco videntur; quod enim nos contra, illi *ἀντίον* dicunt.

5 **Amneses** appellantur urbes sitae prope amnem, ut a mari maritimae. Unde Interamnae et Antemnae dictae sunt, quod inter amnes sint positae, vel ante se habeant amnes.

Amptermini, qui circa terminos provinciae manent. Unde amiciri, amburbium, ambarvalia, amplexus dicta sunt.

10 **Angiportus** iter compendiarium in oppido, eo quod sit angustus portus, id est aditus in portum.

Angeronae deae sacra a Romanis instituta sunt, cum angina omne genus animalium consumeretur, cuius festa Angeronalia dicebantur.

15 **Actus** modo significant in comoediis et tragoediis certa spatia canticorum; modo iter inter vicinos quattuor pedum latum; modo in geometrica minorem partem iugeri, id est centum viginti pedum; modo motum corporis, ut histrionum et saltatorum, qui etiam ex hoc ipso actuosi dicuntur.

20 **Auxiliares** dicuntur in bello socii Romanorum exterarum nationum, dicti ex Graeco vocabulo *αὔξησις*, quod nos dicimus rerum crescentium actionem.

Ausoniam appellavit Auson, Ulixis et Calypsus filius, eam 18 primum partem Italiae, in qua sunt urbes Beneventum et 25 Cales; deinde paulatim tota quoque Italia, quae Appennino finitur, dicta est Ausonia ab eodem duce, a quo urbem etiam conditam Auruncam ferunt.

Alumento pro Laumedonte a veteribus Romanis necdum adsuetis Graecae linguae dictum est. Sic Melo pro Nilo, Cata-30 mitus pro Ganymede, Alphius pro Alpheo dicebatur.

---

1 C. Marius] cato (ato *man.* 2?) marius *L*: omarius *I*: marius (*om.* C.) *R*. 3 dimissi *codd.* 4 illa *G*[1]. 5 positae *I*. 7 sit *I*. 8 Amt- *Gloss.* (*cf. Macrob 1, 14, 5*). 9 arbarualia *β*. 10 Ang. est iter *M*: Ang. inter *P*. 15 significat *T ante corr. L ante corr. Gloss.* 16 anticorum *G*[1]. 17 iugerum *T*. 19 ipso hoc *I*. aetuosi *G*. 21 auxesim *codd.* 22 cr. rer. *L*. actionem *codd.*: auct- *E*. 23 auxon *β*. calypsis *IR*. 26 (urb. et. cond. aur. fer. *codd.*) 27 additam *L*. 29 sic] sicut *E*. nihilo *L ante corr.*

Accensi dicebantur, qui in locum mortuorum militum subito subrogabantur, dicti ita, quia ad censum adiciebantur.
Acerra ara, quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant. Alii dicunt arculam esse turariam, scilicet ubi tus reponebant. 5
Apex, qui est sacerdotum insigne, dictus est ab eo, quod 14 comprehendere antiqui vinculo apere dicebant. Unde aptus is, qui convenienter alicui iunctus est.
Atanuvium est poculi fictilis genus, quo in sacrificiis utebantur sacerdotes Romani. 10
Atroces appellantur ex Graeco, quia illi ἄτρωκτα appellant, quae cruda sunt; sive atrox dicitur ab eo, quod nihil timeat; τρέσαι enim Graeci dicunt timere.
Auguraculum appellabant antiqui, quam nos arcem dicimus, quod ibi augures publice auspicarentur. 15
Arseverse averte ignem significat. Tuscorum enim lingua arse averte, verse ignem constat appellari. Unde Afranius ait (415): „Inscribat aliquis in ostio arseverse."
19 **Aborigines** appellati sunt, quod errantes convenerint in agrum, qui nunc est populi Romani. Fuit enim gens anti- 20 quissima Italiae.
Ab oloes dicebant pro ab illis; antiqui enim litteram non geminabant.
Aventinus mons intra urbem dictus est, quod ibi rex Albanorum Aventinus bello fuerit extinctus atque sepultus. 25
Adorare apud antiquos significabat agere; unde et legati oratores dicuntur, quia mandata populi agunt.
Armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant, ac, dum sacrificarent, tubis canebant.
Adeo duas habet significationes. Nam cum prima acuta 30

---

2 dicta $G^1 I$. 3 odore intendebant M^1. 4 turariam *ex* -ium *E*. 6 insignie *L*. 9 Atanuuium *L*: Athanuuium *TE*: Athanuium *MPβ*: Att- *Gloss.* (?) sacrificio *I*. 11 ἄτρωκτα *Scal.*: atrocia *codd.* 13 τρέσαι] trese *codd.* grece *LG*. 14 artem *MPE*. 15 publici *Mue.* 16 Arseuero *I*. 17 constant *MP*. africanus *L*. 19 conuenerunt *Lβ*. 28 Armilustrum *α*. 29 tub. can. *om. I*.

effertur, idem significat, quod accedo, cum dicimus: adeo praetorem. Cum autem secunda, idem quod usque eo, non quidem secundum rationem, quia ad praepositio accusativis accommodata est, sed vetusta quidem loquendi consuetudine.

5 **Argea** loca Romae appellantur, quod in his sepulti essent quidam Argivorum inlustres viri.

Asparagus herba dicta, quod in aspero virgulto nascatur.

Adsidelae mensae vocantur, ad quas sedentes flamines sacra faciunt.

10 **Anceps** significare videtur id, quod ex utraque parte caput 15 habeat, ut secures bipennes; sed magis a capiendo, quod ex utraque parte aeque captatur, appellatum est.

Ancus appellatur, qui aduncum brachium habet, et exporrigi non potest.

15 **Ancillae** dictae ab Anco Martio rege, quod in bello magnum feminarum numerum ceperit. Sive ideo sic appellantur, quod antiqui anculare dicebant pro ministrare, ex quo di quoque 20 ac deae feruntur coli, quibus nomina sunt Anculi et Anculae.

Ancaesa dicta sunt ab antiquis vasa, quae caelata appella-20 mus, quod circumcaedendo talia fiunt. Ipsum quoque caelare verbum ab eadem causa est dictum, D littera cum L permutata.

Aerosam appellaverunt antiqui insulam Cyprum, quod in ea plurimum aeris nascatur.

25 **Aenesi** dicti sunt comites Aeneae.

Aenatores cornicines dicuntur, id est cornu canentes.

Aenariam appellavere locum, ubi Aeneas classem a Troia veniens appulit.

Audacia ab avide, id est cupide, agendo est dicta.

30 **Aceratum** lutum cum paleis mixtum.

Aclassis tunica ab humeris non consuta.

---

1 (acc. cum *codd.*) 4 quidem] quadam *dett.*, *fort. recte.* 6 uri *I.* 8 Ass- *I.* uocatur *M.* 11 sed] si *L.* 13 quia *MP.* 15 magno *I.* 18 ac] uel *GI.* 19 Ancesa *α R.* 20 fiant *MP*: sunt *β*. 26 Aneatores *E* (*teste Loewe*): Aenetores G^1. 27 Aeneriam G^1; Aenarium *I.* a *om. I.* 29 (est dicta *codd.*) 31 Aclassis *TEIR*: Aclasis *P*: Adasis *ML*: Adassis *G.*

Arillator, qui etiam coccio appellatur, dictus videtur a voce Graeca, quae est αἶρε, id est tolle, quia sequitur merces, ex quibus quid cadens lucelli possit tollere. Lucellum diminutivum est a lucro.

Artitus bonis instructus artibus. 5

Arni caput agni caput.

Arsineum ornamentum capitis muliebris.

Artus ex Graeco appellantur, quos illi ἄρθρα dicunt: sive artus dicti, quod membra membris artentur.

Arquites arcu proeliantes, qui nunc dicuntur sagittarii. 10

Arbilla arvina, id est pinguedo corporis.

21 **Artifices** dicti, quod scientiam suam per artus exercent, sive quod apte opera inter se artent, qua ex causa etiam et artes sunt appellatae.

Arytaenam sive art⟨a⟩enam vas ab auriendo sic appellabant. 15

Amsegetes dicuntur, quorum ager viam tangit. 16

Amites perticae aucupales.

Ampendices dicebantur ab antiquis, quod circumpenderent, quos nunc appendices appellamus.

Ablegmina partes extarum, quae dis immolabant. 20

Ambulacra ambulationes.

Amian genus piscis.

Ameria urbs in Umbria ab Amiro sic appellata.

Adsipere et **praesipere** dicebant antiqui [a sapiendo], sicut nos quoque modo dicimus ab aequo iniquum, ab quaerendo 25 inquirere.

---

1 Ar. qui] A. coccier qui *β*. Alirlator *I*. coctio *LG*. 2 αἶρε] area *codd.* (id est *codd.*) 3 quid *ex* quod *M*. Luc. — a lucro *secl. Thewr.* 6 Arni *α*: Arne *β*: Arnae *Scal. vel* Arnicaput (-nec-). 8 Arcus *I*. arohra *MP*: adtra *L*. 10 proeliantur *G*[1]. 13 arcent *GI*. etiam *om. R*. 15 Arytenam (Arit- *I*) *codd.* artenam *codd.* hauriendo *MPLEIR ex corr.* 16 Ansegetes *I*. iam *M*[1]. 18 penderent (*om.* circum) *M*. 20 parte sextarum *T*: partesectarum *G*. (immolabant *codd.*) 24—26 *post 20,21 repetunt codd.* (*vid. infra*). 24 Ass- *I*. persipere *vel* prae- *codd. alt. loco.* dic. ant. sicut *codd. hoc loco*: ant. dic. a sapiendo sic *codd. altero loco.* modo *om. codd. altero loco.*

Admissivae aves dicebantur ab auguribus, quae consulentem iuberent.
Adulari est compositum ex accedendo et †alluendo.
Addubanum dubium.
5 **Adulter** et **adultera** dicuntur, quod et ille ad alteram et 22 haec ad alterum se conferunt.
Aquilus color est fuscus et subniger, a quo aquila dicta esse videtur, quamvis eam ab acute volando dictam volunt. Aquilus autem color ab aqua est nominatus. Nam cum an-
10 tiqui duos omnino naturales nossent, id est album et nigrum, intervenerit autem is quoque, qui ita neutri similis est, ut tamen ab utroque proprietatem trahat, potissimum ab aqua eum denominarunt, cuius incertus est color.
Aquilo ventus a vehementissimo volatu ad instar aquilae
15 appellatur.
Anquirere est circumquirere.
Andron locus domicilii appellatur angustior longitudine, in quo viri plurimi morabantur, ut gynaeceum a mulieribus.
Apud et **penes** in hoc differunt, quod alterum personam
20 cum loco significat, alterum personam et dominium ac potestatem, quod trahitur a penitus.
Anxur vocabatur, quae nunc Tarracina dicitur Vulscae gentis, sicut ait Ennius (Ann. 162): „Vulsculus perdidit Anxur."
17 **Aquarioli** dicebantur mulierum inpudicarum sordidi adse-
25 culae.
Aquipenser genus piscis.
Apellinem antiqui dicebant pro Apollinem.

---

3 Adullari *G.* all.] ludendo *Scal.* 5 quod] quia *β.* ad alteram] adulteram *G¹.* 8 uolando] videndo *Hildebrand*: *add.* uel ab acumine oculorum *L* (*ex Isid. etym. 12,7, 10*). 14—15 *om. P.* 16 Amquirere *T.* circumquirere *MPTEG*: circumquaerere (-quer-) *IR.* 18 gynaeceum] gynec̄ *L*: ginecon *M*: gynecon *PTGIR*: gynecen *E.* 21 *post lemma* Apud *sequuntur haec in codd.* (*in TP erasa*): Adsipere (Ass- *I*) et persipere (per- *GI¹R*: prae- *MPLI²*: pre- *E*) antiqui dicebant (dic. ant. *L*) a sapiendo sic nos quoque dicimus ab aequo iniquum a quaerendo inquirere. 22 terracina *αR.* uolsce *R.* gentilis *L ante corr.* 23 uulculus *M.* 26 Aquipensent (Aeq- *I*) *β.* 27 Appellinem *TER.*

Aperta idem Apollo vocabatur, quia patente cortina responsa ab eo dentur.
Abditivi abortivi.
Ape apud antiquos dicebatur prohibe, compesce.
Apua genus minimi pisciculi. 5
Abs praepositio a Graeco deducitur. Significat autem retractationem in partem posteriorem.
23 **Apollinares ludos**, hoc est in laude Apollinis, populus laureatus spectabat, stipe data pro cuiusque copia.
Apiculum filum, quo flamines velatum apicem gerunt. 10
Abacti magistratus dicebantur, qui coacti deposuerant imperium.
Agere modo significat ante se pellere, id est minare. Virgilius (Ecl. 9, 24): „Et potum pastas age." Modo significat iurgari, ut dicimus: agit cum eo furti; modo rependere, ut 15 cum dicimus: gratias ago; modo verbis indicare, ut cum dicimus: causam ago; quin etiam si accessit gestus et vultus quidam decor, ut cum scaenici agere dicuntur.
Abitionem antiqui dicebant mortem.
Abgregare est a grege ducere: adgregare ad gregem du- 20 cere: segregare ex pluribus gregibus partes seducere, unde et egregius dicitur e grege lectus. Quorum verborum frequens usus non mirum si ex pecoribus pendet, cum apud antiquos opes et patrimonia ex his praecipue constiterint, ut adhuc etiam pecunias et peculia dicimus. 25
Acetare dicebant, quod nunc dicimus agitare.
Autumnum quidam dictum existimant, quod tunc maxime augeantur hominum opes, coactis agrorum fructibus.
Agedum significat age modo. Est enim adhortantis sermo.
Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas, quia nullam 30

---

6 deducitur] descendit *L.* retractionem *G*[1]. 7 in parte posteriore *L.* 8 ludos *ex* ludu- *G.* laudem *M ante corr. T.* 11 magistratu *Momms.* (*St. I, 604, 3*). 13 Agerendo sig. *G*[1]. 15 ait cum eo *M*: agit cum eg *L ante corr.*: agrecum eo *I.* 19 Ambitionem *LI.* 20 adgregare] aggregare *I.* 21 plurimis *GI*(*R*?) 25 pec. et peculias *I.*

litteram geminabant. Itaque aulicocia exta, quae in ollis coquebantur, dicebant, id est elixa.

18 **Avidus** a non videndo propter nimiam cupiditatem appellatur; sicut amens, qui mentem suam non habet.

5 **Aureliam** familiam ex Sabinis oriundam a Sole dictam putant, quod ei publice a populo Romano datus sit locus, in quo sacra faceret Soli, qui ex hoc Auseli dicebantur, ut Valesii, Papisii pro eo, quod est Valerii, Papirii.

Aemiliam gentem appellatam dicunt a Mamerco, Pythagorae 10 philosophi filio, cui propter unicam humanitatem cognomen fuerit Aemylos. Alii, quod ab Ascanio descendat, qui duos habuerit filios, Iulum et Aemylon.

Aerumnulas Plautus (frg. inc. 11) refert furcillas, quibus religatas sarcinas viatores gerebant. Quarum usum quia Gaius 15 Marius retulit, Muli Mariani postea appellabantur. Itaque aerumnae labores onerosos significant; sive a Graeco sermone deducuntur. Nam *αἴρειν* Graece, Latine tollere dicitur. 24

Aemidum tumidum.

Aequidiale apud antiquos dictum est, quod nunc dicimus 20 aequinoctiale, quia nox diei potius, quam dies nocti adnumerari debet. Graeci quoque in hoc consentiunt, *ἰσημερίαν*, id est aequidiale, dicentes.

Aeruscare aera undique, id est pecunias, colligere.

Aequilavium significat ex toto dimidium, dictum a lava- 25 tione lanae, quae dicitur aequilavio redire, cum dimidium decidit sordibus.

Aegeum mare appellatur, †ut crebrae in eo sint insulae, ut procul aspicientibus species caprarum videatur; sive quod in eo Aege, Amazonum regina, perierit; sive quod in eo 30 Aegeus pater Thesei se praecipitaverit.

---

1 aulicotia *PG*: aulicocta *formam exhibent Act. Arv.* ollis *ex* aulis *L*. 6 ei publicae *ex* *epublicae *G*. 7 sacrificaret *MP*. dicebant *I*. 8 Valesii] uaselii *I*: uaselli *R* est *om. M*. Papirii] paperii *MPL*: paperi *T*: parii *G*. 11 aemilos *Lβ*. 12 iulium *G*[1]. emylon *PMT*: aemilon *LE*[1]*IR*. 13 plaustus *β*. furtillas *G*. 15 propterea *MP*. 17 *αἴρειν*] arin *codd.* 20 adnumerare *ex* -ri *M*. 21 isimerian *codd* (-am *I*) 27 ut] quod *dett.* 28 (uideatur *codd.*) 29 quod in ea *β*: in eo quia *MP*.

Aestimata poena ab antiquis ab aere dicta est, qui eam aestimaverunt aere, ovem decussis, bovem centussis, hoc est decem vel centum assibus.
Alucinatio erratio.
Adigas dare cogas. 5
Acies, acumen, acus et acuere dicuntur ab ἀκόνη, quam Latine dicimus cotem.
Auxilla olla parvula.
Amputata, id est circumputata, dicuntur ab eo, quod antiqui putum pro puro dicebant, unde deducuntur pudor et 19 pudicus. 11
Appia via et aqua ab Appio Claudio est appellata.
25 **Ariminum** a nomine fluminis propinqui est dictum.
Animula urbs parvarum opum fuit in Apulia.
Arca deminutivum facit arculam et arcellam, ut a porco 15 porculum et porcellum, a mamma mammulam et mamillam.
Alebria bene alentia.
Agasones equos agentes, id est minantes.
Arcubii, qui excubabant in arce.
Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus do- 20 nati gerunt, dictas esse existimant, quod antiqui umeros cum brachiis armos vocabant; unde arma ab his dependentia sunt vocata.
Abalienatus dicitur, quem quis a se removerit. Alienatus quia alienus est factus. 25
Adserere manum, est admovere: quo ea quoque, quae in terram demittuntur, seri dicuntur; unde etiam serae appellantur, quia foribus admotae opponuntur defixae postibus, quemadmodum ea, quae terrae inserunt.
Arvum dicimus agrum necdum satum. 30
Apica dicitur ovis, quae ventrem glabrum habet.

---

1 habere *I*. 2 centussis *LE*: centusis *Mβ*. 4 Alutinatio *β*. 12 et] ab *L*. 15 arcilam *I ante corr.* 16 mamulam *G*: mam mula *M*. et mammillam *IR*. 19 Arcubus *R*[1]. excubant *IR*. 20 militares uiri *IR*. 24 Abeleniatus *M*. 25 quia] qui *Lβ*. 26 Ass- *I*. 27 terra *Eβ*. dimittuntur *codd.* 29 inseruntur *TLE*: miserunt *MP*: inseriant *R*.

Ae syllabam antiqui Graeca consuetudine per ai scribebant, ut aulai, Musai.
†**Auata** saepe aucta.
Abercet prohibet[ur].
5 **Advosem**, adversarium, hostem.
„**Axe adglomerati universi stantes**“, id est cohortibus 26 aut legionibus.
†**Aerumaeruma** utensilia ampliora.
†**Aevolunt** avolant.
10 †**Astasent** statuerunt.
„**Ambiaxioque circumeuntes**“, catervatim.
Apor apud.
Amosio annuo.
Antiquum veteres etiam pro †omnia posuere.
15 **Aestimias** aestimationes.
20 **Abisse** pro adisse dicebant.
Abambulantes abscedentes.
Aquilius praenomen ab aquilo colore, id est nigro, est dictum.
Antiquare est in morem pristinum reducere.
20 **Attinge** pro attingam posuere.
Appellitavisse appellasse. 27
Alteras ponebant pro eo, quod est adverbium alias.
Argutum iri in discrimen vocari.
Aureas dicebant frenos, quibus equorum aures religantur.

---

1 ai *om. G.* 3 *an* Auctata? 4 Abhercet *T*: abarcet *L* (*cf. supra, 14, 24*) prohibetur *codd.* 8 Aerum (Acrum *E*) aerum autensilia *codd.*: Aeruma utens. *Mue.*: Aeramina (*vel* Aeramenta) utens. *Scal.*: Acrum ⟨acre⟩. Aeruma utens. *Thewr.* 9 Aeuoluunt *TLE*: Afvolunt *Mue.*: Afvolant *Georges.* auolant *ex* euolant *T.* 10 Astasint steterint *Scal.*: *fort.* Astasent statuerent. 11 Ambiaxioque *PT ex corr. EI*: Ambiaxio quae *L ex corr.*: Abianxio qui *R*: Ambaxio quae *MG*[2]: Ambaxioque *G*[1]: Ambiaxique *T ante corr.*: Ambiaxi quae *L ante corr.* 14 Anticum *recc.* omnia (omā) *codd.*: ianua *recc.*: nobili *dett.* 15 aestimationibus *codd.*: *corr. recc.* 16 addisse *G*: obisse *Aug.* 19 in modum *T.* 20 Antinge *L*: Attingere *T.* 21 Appellatiuisse *G*[1]: Appellauisse *LG*[2]. App. saepe app. *Thewr.* 24 rediguntur *codd.*: *corr. ex 8, 6.*

Audacias pluraliter Cato dixit.
Ausis audeas.
Audax deminutivum facit audaculus.
Arvocitat saepe advocat.
Annaria lex dicebatur ab antiquis ea, qua finiuntur anni magistratus capiendi. 5
Aliorsum et illorsum sicut introrsum dixit Cato.
Abietaria negotia dicebantur, quam materi⟨ari⟩am nunc dicimus, videlicet ab abietibus coemendis.
Aletudo corporis pinguedo. 10
Aeribus pluraliter ab aere, id est aeramento, Cato dixit.
Addues addideris.
Aristophorum vas, in quo prandium fertur, ut discus.
Adlicit est perducit aliquem in rem, dictum a verbo lacit, id est decipit. Hinc descendit inlicere et oblectare, id est 15 frustrantem inducere.
Abnutare saepe abnuere.
Aliae rei dixit Plautus pro eo, quod est ali rei.
28 **Adfabrum** fabrefactum.
Alimodi pro alius modi. 20
Aeneolo, quod ex aere fit dicimus. **Aenulum** vas ex aere parvum.
Ad exitam aetatem ad ultimam aetatem.
Amatio ab amore denominatum.
Anginam vinariam habere dicuntur, qui vino suffocantur. 25
Adulterina signa dicuntur alienis anulis facta.
Arabice ole, id est ex odoribus Arabicis. 21
Ausculari dicebant antiqui pro osculari, quod est os cum ore conferre.
Adaxint: adegerint. 30

Clitellae dicuntur non tantum eae, quibus sarcinae conliga-
10 tae mulis portantur, sed etiam locus Romae propter similitudinem, et in via Flaminia loca quaedam devexa subinde et adcliva. Est etiam tormenti genus eodem nomine appellatum.
Cloacale flumen dixit Cato pro cloacarum omnium conluvie.
15 **Compluriens** a compluribus significat saepe. Cato (or. inc. 18): „Contumelias mihi dixisti compluriens".
Citeria appellabatur effigies quaedam arguta et loquax ridiculi gratia, quae in pompa vehi solita sit. Cato in Marcum Cae[ci]lium (6): „Quid ego cum illo dissertem amplius, quem 60
20 ego denique credo in pompa vectitatum ire ludis pro citeria, atque cum spectatoribus sermocinaturum."
Curionem agnum Plautus (Aul. 562—3) pro macro dixit, quasi cura macruisset.
Coniector interpres somniorum.
25 **Comperce** pro conpesce dixerunt antiqui.
Comparsit Terentius (Phorm. 44) pro conpescuit posuit.
Creduas credas. Plautus (Bacch. 476): „Ipsus nec amat, nec tu creduas." [Ipsus pro ipse.]

---

1 pondus *α*. 5 genere masculino *T*. (posuere *codd.*) 6 quia *MP*. facia *M*. 9 Citellae *I*. ea *MP* (*ex* mea). 12 addecliuia *LET*. 14 conluuie] coluene *G*: conluenae *R*: colluenae *I*. 15 Conp- *P*. sig. se peccato R^1I: significato *L*. 16 compluriens *E*: conp- (c̄p-) *PMLIR*. 17 Ceteria *R*. 18 marco *R*: marto *I*. 19 caecilium *codd.* disertem *PMG*. 21 atque conspectatoribus *IR*. 22 marco *L*. (dixit *codd.*) 23 marcuisset *R*. 25 Comperte *R*. 27 ipsos *IR*. 28 tu *om. M*. Ipsus pro ipse *MP*: *om. TLE*: *post* redditus est *hab. β*.

Corius ab antiquis masculino genere dicebatur. Plautus (inc. frg. 18): „Iam tibi tuis meritis crassus corius redditus est." Pari modo diverso genere dicebant haec lupus, haec metus, haec amnis, hic frons.

Cullus quoque masculine dixerunt. Est enim genus tormenti 5 e corio.

Crumina sacculi genus. Plautus (inc. frg. 19): „Di bene vertant, tene cruminam, inerunt triginta minae."

Corinthienses ex eo dici coeperunt, ex quo coloni Corinthum sunt deducti, qui ante Corinthii sunt dicti; quam con- 10
61 suetudinem servamus etiam, cum Romanenses et Hispanenses et Sicilienses negotiatores dicimus, qui in alienis civitatibus negotiantur.

Cavitionem dicebant, quam modo dicimus cautionem. 43

Consuetionem Plautus (Amph. 490) pro consuetudine dixit. 15

Corculum a corde dicebant antiqui sollertem et acutum. Plautus in Casina (837): „Ego sum liber, meum corculum, melliculum, verculum."

Casinam fabulam Plautus inscripsit ab ancillae nomine Casi⟨n⟩a, quam amari a se⟨ne⟩ introduxit. 20

Conivola occulta.

Cogitatim adverbialiter pro cogitate.

Clientam pro cliente Plautus dixit.

Comoedice figuratum a comoedo. Plautus (Mil. 213): „Euge eus⟨cheme⟩ adstetisti et dul⟨i⟩ce et comoedice!" 25

Capulum et manubrium gladii vocatur, et id, quo mortui efferuntur, utrumque a capiendo dictum. Sane a capulo fit capularis.

Celassis celaveris.

---

1 (ab antiquis *codd.*) 2 clam tibi *T*: latibi *L.* crassius *L.* 3 ludus *codd.: corr. Scal.* 5 (*a* Cullus *nov. lemm. in codd.*) masculino *ut vid. L.* 8 tene] ne *E.* crumina minuerint *codd.* 11 hispanienses *GR.* 12 quia *I.* aliis *G*[1]. 15 Consuetudinem *MP.* 19 casia *codd.* 20 a se *codd.* 22 aduerabiliter *MP*[1]. 23 Clientem *L.* 25 euscheme] eus *codd.* (eius *L*), adstitisti *R*: astitisti *I.* dulce *codd.* 26 uocantur *MPR.* 27 capulo] capulando *I*: cup- *R.* sit *R.* 29 Celasis cel. *M*: Caelassis caelaueris *T*: Ceclassis cael. *R.*

Custoditio est opera ad custodiendum quid sumpta.
Citior comparativum a cito. Plautus (inc. frg. 21): „Nullam ego rem citiorem apud homines esse, quam famam, reor.“
Clunes masculine. Plautus (frg. 5): „Quasi lupus ab armis
5 valeo, clunes infractos fero.“
Coquitare pro coctitare, id est frequenter coquere, Plautus (dub. 1) posuit.
Canitudinem pro canitie. Plautus (inc. frg. 22): „Stultus 62 est adversum aetatem et capitis canitudinem.“
10 **Conruspari,** conquirere. Plautus (inc. frg. 23): „Conruspare tua consilia in pectore.“
Caecultant caecis proximi sunt oculorum acie obtusa. Plautus (inc. frg. 24): „Numnam mihi oculi caecultant? Estne hic noster Hermio?“
15 **Cudere** a caedendo dictum.
Concipilavisti dictum a Naevio (com. 132) pro corripuisti et involasti.
Clava teli genus, qua Hercules utebatur.
Calones militum servi dicti, quia ligneas clavas gerebant,
20 quae Graeci κᾶλα vocant. Is quoque qui huiusmodi telo utitur, clavator appellatur.
Consiptum apud Ennium (trag. 254) pro conseptum invenitur.
44 **Curionia sacra,** quae in curiis fiebant.
Corpulentis Ennius (inc. 34) pro magnis dixit; nos corpu-
25 lentum dicimus corporis obesi hominem.
Conciliatrix dicitur, quae viris conciliat uxores et uxoribus viros.
Conventae condicio dicebatur, cum primus sermo de nuptiis et earum condicione habebatur.

---

3 famem *R.* 4 armis sua leo *MP.* 6 Coquinare *Dac.* pro coccitare *β.* 9 aduersus *IRT ante corr.* 10 Consuspari *MP.* consuspare *MP.* 12 caecis — caecultant *om. R.* caesis (ce-) *MTLP.* 13 nummam *codd.* (*corr. E*) 15 Cudere — inuolasti (17) *om. L.* 16 Conpilauisti *E.* 18 Clauia *MP.* teligneus *I.* 19 dicti *om. L.* ligeas *MP*[2]: ligens *P*[1] clauias *I ante corr.* 20 graece (gre-) *Mβ.* qui in hui. *L.* 21 appellatus *R.* 22 consceptum *R.* (inuenitur *codd.*) 23 cursis *R.* 26—27 uxores uiris *codd.* (uxoribus uiros *I*).

Conceptivae† ferialie† festa dicebantur, quae incertis diebus observabantur quotannis, ut Sementivae, Compitaliciae.
Caelibari hasta caput nubentis comebatur, quae in corpore gladiatoris stetisset abiecti occisique, ut, quemadmodum illa
63 coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro 5
sit; vel quia matronae Iunonis Curitis in tutela sint, quae ita appellabatur a ferenda hasta, quae lingua Sabinorum curis dicitur; vel quod fortes viros genituras ominetur; vel quod nuptiali iure imperio viri subicitur nubens, quia hasta summa armorum et imperii est. Quam ob causam viri fortes 10
ea donantur, et captivi sub eadem veneunt, quos Graeci *δορυαλώτους* et *δορυκτήτους* vocant.
Cingillo nova nupta praecingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis, ut, sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctus- 15
que esset. Hunc Herculaneo nodo vinctum vir solvit ominis gratia, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit.
Camelis virginibus supplicare nupturae solitae erant.
Cinxiae Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod 20
initio coniugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.
Cumeram vocabant antiqui vas quoddam quod opertum in nuptiis ferebant, in quo erant nubentis utensilia, quod et camillum dicebant, eo quod sacrorum ministrum *κάσμιλον* 25
appellabant.
Comptus, id est ornatus, a Graeco descendit, apud quos *κοσμεῖν* dicitur comere, et *κόσμιος*, qui apud nos comis; et comae dicuntur capilli cum aliqua cura compositi.

---

1 ferialie (-ae) *codd.* (-lae *LI*): feriae talia *Thewr.*: feriae ea *Mue.* 5 coniecta *L.* 6 iuninis *M.* sunt *IR.* 7 linguae (-gue) *IR.* 8 genitura omin. *LE*: genitura somnietur *IR.* 9 uiris obicitur *β.* quiasta *L.* 11 dominantur *PML.* uenerunt *I.* quas *codd.* (quos *G*) 12 *δορυκτήτους*] dorictitos *PMEG*: -cos *R*: -tes *L.* 13 Cingilio *codd.*: Cingulo *recc.* (*cf.* v. *21 infra*) 16 hunc] nunc *Merk.* ominis (*omis*) *LI*: hominis *PMR*: omnis *G.* 18 herculanus *codd.* 20 Cinthiae *I.* 21 erant *MP.* 25 minitrum *M.* 28 *κο.* di. co. et *om.* *G*[1]. comis] comes *β.*

45 **Corolla** deminutivum est a corona. Corollam nova nupta de floribus, verbenis herbisque a se lectis sub amiculo ferebat.
Cupressi mortuorum domibus ponebantur ideo, quia huius generis arbor excisa non renascitur, sicut ex mortuo nihil
5 iam est sperandum, quam et ob causam in tutela Ditis patris esse putabatur.
Curiales flamines curiarum sacerdotes. 64
Cyparissíae appellantur acies quaedam igneae, quae noctu apparere solent ad similitudinem cupressi.
10 **Coninquere,** deputare.
Carnificis loco habebatur is, qui se vulnerasset, ut moreretur.
Capita deorum appellabantur fasciculi facti ex verbenis.
Consiptum clavis praefixum.
Corniscarum divarum locus erat trans Tiberim cornicibus
15 dicatus quod ⟨in⟩ Iunonis tutela esse putabantur.
Caelestia auguria vocant, cum fulminat ⟨aut⟩ tonat.
Caduca auspicia dicunt, cum aliquid in templo excidit, veluti virga e manu.
Clivia auspicia dicebant, quae aliquid fieri prohibebant;
20 omnia enim difficilia clivia vocabant, unde et clivi loca ardua.
Curiales mensae, in quibus immolabatur Iunoni, quae Curis appellata est.
Contrarium aes, grave aes.
Centumviralia iudicia, quae centumviri iudicabant.
25 **Circumluvium** ius praediorum.
Cumbam Sabini vocant eam, quam militares lecticam, unde videtur derivatum esse cubiculum.
Condicere est dicendo denuntiare.
Commoetacula virgae, quas flamines portant pergentes ad
30 sacrificium, ut a se homines amoveant.

4—5 iam nihil *L.* ob hoc causam *M.* 8 Cyparissae (Ci-, -e) *codd.* 9 cupressi *post* deputare *G*[1]. 10 Coninquirere *IR.* 12 fasculi *L.* 14 lucus *Dac.* 15 in *om. codd.* (*hab. I*) 16 aut *om. codd.* 17 Cauduca *R.* 18 uirga e] uirge *MP*: uirga *R.* 20 clivi] cliuia *L.* 21 quae] qui *MP.* 24 Centumuirilia *L.* 25 Circumliuium *M.* predorum *R.* 26 lectitam *E*[1]. 27 esse d. *L.* 29 Commoetaculum *R.*

65 **Casta mola** genus sacrificii, quod Vestales virgines faciebant.
Culigna vas vinarium a Graeco dicta, quam illi dicunt κύλικα.
Cincta flaminica veste velata. 46
Captus locus dicitur ad sacrificandum legitime constitutus.
Cervaria ovis dicitur quae pro cerva immolatur. 5
Capralia appellatur ager, qui vulgo ad caprae paludes dici solet.
Canifera mulier appellatur, quae fert canuam, id est qualum, quod est cistae genus.
Contignum frustum carnis cum septem costis demptum. 10
Comauditum coauditum, sicut coangustatum dicitur.
Censio aestimatio, unde censores.
Corda frumenta, quae sero maturescunt, ut fenum cordum.
Consentia sacra, quae ex consensu multorum sunt statuta,
Culina vocatur locus, in quo epulae in funere conburuntur. 15
Calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa Vinalia.
Cicatricare cicatricem inducere.
Conpescere lucum est lucum suis finibus cohibere. 20
Commugento convocanto.
Capitarium aes, quod capi potest.
Coinquere coercere.
66 **Capitalis lucus,** ubi, si quid violatum est, caput violatoris expiatur. 25

---

3 flama *M*: flamina *LP*. 5 iouis *MP ante corr.* ceruo *LET*. immolabatur *PM ante corr. L ante corr. E* (*cum codd. supra p. 49*). 6 Cupruli *codd.* (Cuproli *R*: Crupuli *I*): *corr. Lindem.*: Cupralia *Mue.* plaudes *R*. 8 qualequodque est cista egenus *R*. est *om. MP*. 10 canis *I*. 11 (Com- *codd.*) comangustatum *Thewr.* 14 quo *I*. (consensu multorum *codd.*) 15 combaruntur *R*: comburentur *I*. 16 Calphar *G*[1]. 17 quae appellant *L*: *om. I*. 19 Cicatrice *ex* -cem *L*. 20 Conp- *E*: Comp- *I*. 21 Commugento *PME*[2]: Commungento *T*: Commugente *LE*[1]*GI*: Commune gente *R*. conuocante *IR*. 22 potest| post *M*. *fort.* quod capi pro capite potest *vel* quod pro capite est. 23 Coninquere *TG*[2]: Coinquirere *I*. 24 locus *MP*.

Cloeare inquinare. Unde et cloacae dictae.
Conregione e regione.
Condictio in diem certum eius rei, quae agitur, denuntiatio.
Cubans auspicatur, qui in lecto quaerit augurium.
5 **Contio** conventus, dicta quasi convocatio.
Cogitatio dicta velut coagitatio, id est longa eiusdem rei agit⟨at⟩io in eadem mora consilii explicandi.
Clam a clavibus dictum, quod his, quae celare volumus, claudimus.
10 **Cella**, quod ea celentur, quae esse volumus occulta.
Ciere nominare.

47 **Duco** cum pro puto ponimus, ex Graeco deducitur, quod illi dicunt δοκῶ.
Duplionem antiqui dicebant, quod nos duplum. Venit autem
15 a Graeco διπλοῦν.
Duicensus dicebatur cum altero, id est cum filio census.
Duis duas habet significationes. Nam et pro δὶς ponebatur et pro dederis.
Duidens hostia bidens.
20 **Duellum** bellum, videlicet quod duabus partibus de victoria contendentibus dimicatur. Inde et perduellio, qui pertinaciter retinet bellum.
Duonum bonum. 67
Duplabis duplicabis.
25 **Duodeviginti** dicendi consuetudinem a Graecis traxisse videmur, qui sic enuntiant δυοῖν δεόντοιν εἴκοσιν, et ἑνὸς δέοντος εἴκοσιν.
Dumosa frondosa.

---

1 Cocleare *T*: Cloacare *dett.*: Cloare *codd. Servii auct. ad Aen. 1, 720:* Cluere *Plin. N. H. 15, 119.* **3** Conditio *PM I*: Condicio *G*. **6** coagitio *MP*: cogitio *T*. **7** agitio *codd.*: *corr. dett.* **10** (esse uolumus *codd.*) **12** puta *I*. **13** docc *L*: doce *M*. **15** diplun *codd.* (diplum *IR*). **16** Diucensus *LG*[1]*R*. **17** δὶς] dis *codd.* **19** Duudens *LI*. **20** vid.] significet *MP*. **21** dim.] de uictoria *T*. **26—27** dyindeikosinetenosdeikosin *codd.* (*fere*) **28** Dumoso *G*.

Dubat dubitat.
Dubenus apud antiquos dicebatur, qui nunc dominus.
Dusmo in loco apud Livium (trag. 39) significat dumosum locum. Antiqui enim interserebant S litteram, et dicebant cosmittere pro committere, et Casmenae pro Camenae. 5
Dumecta antiqui quasi dumiceta appellabant, quae nos dumeta.
Dumus a Graeco venit δόμος.
Dracones dicti ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, quod est videre. Clarissimam enim dicuntur habere oculorum aciem: qua ex causa 10 incubantes eos thesauris custodiae causa finxerunt antiqui. Ideoque Aesculapio adtribuuntur, quod vigilantissimi generis putantur, quae res medicinae maxime necessaria est.
Dici mos erat Romanis in omnibus sacrificiis precibusque: populo Romano Quiritibusque, quod est Curensibus, quae 15 civitas Sabinorum potentissima fuit.
68 **Dalivum** supinum ait esse Aurelius, Aelius stultum. Oscorum quoque lingua significat insanum. Santra vero dici putat ipsum, quem Graeci δείλαιον, id est, propter cuius fatuitatem quis misereri debeat. 20
Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut 48 hiberna sementi, aut verna. Quod vocabulum ex Graeco deducitur, apud quos id genus epularum δαὶς dicitur. Itaque et dapatice se acceptos dicebant antiqui, significantes magnifice, et dapaticum negotium amplum ac magnificum. 25
Daedalam a varietate rerum artificiorumque dictam esse apud Lucretium (1, 7) terram, apud Ennium (inc. 46) Minervam, apud Virgilium (Aen. 7, 282) Circen, facile est intellegere, cum Graeci δαιδάλλειν significent variare.

---

2 Dubius *Gloss.* dominus] dubius *Scal.* 3 in locum *M.* domosum *α*: domisum *GI*: donisum *R.* 4 S *om. L.* 8 Domus *dett., fort. recte* δόμος] domus *codd.* (-mos *R ante corr.*) 9 derkeste (-rche-) *codd.* 11 cust. causa *om. MP.* 14—16 *om. in spat. vac. L.* 17 supinum *βE*: sapinum *ML*: sa supinum *T*: sabinum *P.* stultus *PMLT.* oscolorum *M*: osculorum *P*: quorum *L.* 18 putant *G.* 19 dileon *codd.* statuitate *L.* 24 daptice *I.* 25 dapaticis *codd.*: *corr. Lindem.* et mag. *β* (ex mag. *G*[1]). 29 dedalin *codd.* graece ... significet *dett.*

Damium sacrificium, quod fiebat in operto in honore Deae Bonae, dictum a contrarietate, quod minime esset *δαμόσιον*, id est publicum. Dea quoque ipsa Damia et sacerdos eius damiatrix appellabatur.
5 **Dacrimas** pro lacrimas Livius saepe posuit, nimirum quod Graeci appellant *δάκρυα*; item dautia, quae lautia dicimus, et dantur legatis hospitii gratia.
Danunt dant.
Dasi dari.
10 **Danistae** feneratores.
Dagnades sunt avium genus, quas Aegyptii inter potandum cum coronis devincire soliti sunt, quae vellicando morsicandoque et canturiendo adsidue non patiuntur dormire potantes.
15 **Daunia** Apulia appellatur a Dauno, Illyricae gentis claro 69 viro, qui eam, propter domesticam seditionem excedens patria, occupavit.
Dorsum dictum, quod pars ea corporis devexa sit deorsum.
Donum ex Graeco est, quod illi vocant *δῶρον*.
20 **Donaticae coronae** dictae, quod his victores in ludis donabantur, quae postea magnificentiae causa institutae sunt super modum aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares ornantur.
Dotem manifestum est ex Graeco esse. Nam *διδόναι* dicitur 25 apud eos dare.
Doliola locus in Urbe sic vocatus, quia invadentibus Gallis 49 Senonibus Urbem sacra in eodem loco doliolis reposita fuerunt. Qua de causa in eodem loco ne despuere alicui licebat.
Doli vocabulum nunc tantum in malis utimur, apud anti- 30 quos autem etiam in bonis rebus utebatur. Unde adhuc dicimus sine dolo malo, nimirum quia solebat dici et bonus.

1–2 (honore deae bonae *codd.*) 3 pullicum *R.* 4 appellatur *R.* 5 lacrimis *L.* 6 dakria *codd.* daucia *MTLGR.* laucia *TGR.* 11 genes *M.* inter] interdum *T.* 12 deuincere *LGI.* soluti *MPG.* 13 domire *M.* 15 Duuna *L*: Dauinia *I.* 16 patriam *R.* 18 ea pars *L.* 27–28 doliolis — loco *om.* *β*: *suppl. in marg. E* (*man. 1, ut vid.*) 29 Dali *G*[1].

Dirus dei ira natus.
Derogare proprie est, cum quid ex lege vetere, quo minus fiat, sancitur lege nova. Derogare ergo detrahere est.
Dierectum dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem. 5
Dirigere apud Plautum invenitur pro discidere.
Deruncinunt depurgant.
Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui stipendium ignominiae causa non erat datum, quod aes diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. 10
70 **Delicata** dicebant dis consecrata, quae nunc dedicata. Unde adhuc manet delicatus, quasi lusui dicatus. Dedicare autem proprie est dicendo deferre.
Depuvere caedere. Lucilius (1245): „Palmisque misellam depuviit me", id est verberavit me, quod ipsum ex Graeco 15 est *ἀπὸ τοῦ παίειν.*
Dedita intellegitur valde data.
Deperire significat valde perire.
Δέῤῥεις Graeci appellant pelles nauticas, quas nos vocamus segestria. 20
Demum, quod significat post, apud Livium (dub. 44) demus legitur. Alii demum pro dumtaxat posuerunt.
Denicales feriae colebantur, cum hominis mortui causa familia purgabatur. Graeci enim *νέκυν* mortuum dicunt.
Deminutus capite appellatur, qui civitate mutatus est; et 25 ex alia familia in aliam adoptatus; et qui liber alteri mancipio datus est; et qui in hostium potestatem venit; et cui aqua ignique interdictum est.

---

1 diei *IR.* natus] actus *Isid. Etym.* 10, 75. 2 est pr. *LE.* lege est uet. *β.* 6 Diligere *Festus, ni fallor (cum Nonio p. 290 Me.)* discedere G^1R^1. 7 Deruntiunt *IR.* 9 datum *PME*: dictum *β.* 11 Deligata (Dil- *G*) *codd* (-ica- *I*) disci secrata *R.* 12 deligatus *G.* usui *β.* *a* Dedicare *nov. lemm. in codd.* 15 depuuit *MI*: depuiuit *P.* ex] a *R.* 16 (est *codd.*) 17 Dedicta *R.* 19 Derrhis *LEGR*: Derhis *M*: Derris *I.* 21 Demunt *I.* 23 caelebrantur *L.* nekin *codd.* morui di. *R.* 25 appellabatur *I.* 26 familiam *M.* ad. est et *MP.* quilibet *T.* 28 interd.] dictum *R.*

Dividicula antiqui dicebant, quae nunc sunt castella, ex quibus a rivo communi aquam quisque in suum fundum ducit.
50 **Defrui** dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere.
5 **Dividiam** discordiam.
Deversus dicebant deorsum versus. 71
Deinceps, qui deinde coepit, ut princeps, qui primum coepit.
Deus dictus, quod ei nihil desit, vel quia omnia commoda hominibus dat; sive a Graeco δέος, quod significat metum,
10 eo quod hominibus metus sit. Sed magis constat, id vocabulum ex Graeco esse dictum, aspiratione dempta, qui mos antiquis nostris frequens erat.
Dium antiqui ex Graeco appellabant ut a deo ortum et diurnum sub caelo lumen, ἀπὸ τοῦ Διός. Unde adhuc sub diu
15 fieri dicimus, quod non sit sub tecto, et interdiu, cui contrarium est noctu.
Devitare valde vitare.
Demagis pro minus dicebant antiqui.
Denariae caerimoniae dicebantur et tricenariae, quibus sacra
20 adituris decem continuis diebus, vel triginta certis quibusdam rebus carendum erat.
Decrepitus est desperatus crepera iam vita, ut crepusculum extremum diei tempus. Sive decrepitus dictus, quia propter senectutem nec movere se, nec ullum facere potest crepitum.
25 **Decimanus** appellatur limes, qui fit ab ortu solis ad occasum; alter ex transverso currens appellatur cardo.
Decumana ova dicuntur et decumani fluctus, quia sunt magna. Nam et ovum decimum maius nascitur, et fluctus decimus fieri maximus dicitur.

---

2 a rivo] aruit *L.* 5 Diuidam *Nonius 101, 19.* 7 cępit *T*: cepit *G.* 9 omnibus *L.* δεος *P*: deos *MGR*: ϑεος *E*: theos *I*: eeos *L.* 10 metum fit *L.* id uoc. constat *L.* 13 Dum *I.* ut] et *conieci (Class Rev. 5, 9)* 14 telo *R.* diuo *I.* 15 (sit *codd.*) 18 minus] valde magis *Nonius 98, 19* (*cf. Gloss.* dem. σφοδρῶς): *fort.* nimis. 19 d. et trigenariae *β*: dicecenariae *M.* 20 rebus *codd* : *corr. dett.* vel — rebus *om. I.* 22 uitauit cr. *T.* 24 nec dullum *T.* potest facere *I.* 26 ca. app. *L.*

Deprensa dicitur genus militaris animadversionis, castigatione maior, ignominia minor.
Decima quaeque veteres dis suis offerebant.
Decuriones appellantur, qui denis equitibus praesunt.
Depolitum perfectum, quia omnes perfectiones antiqui politiones appellabant. 5
Degunere degustare.
Decures decuriones.
Depubem porcum lactantem, qui prohibitus sit pubes fieri. 51
72 **Decotes** togae detritae. 10
Dictynna Diana, quam esse lunam putabant, dicta, quod fulgore suo noctu omnia ostendat.
Deblaterare est stulte loqui. Nam Graeci βλάκας stultos appellant.
Dicearchia vocabatur, quae nunc Puteoli, quod ea civitas quondam iustissime regebatur. 15
Demoe apud Atticos sunt, ut apud nos pagi.
Dice pro dicam antiqui posuere.
Decermina dicuntur, quae decerpuntur purgandi causa.
Disertiones divisiones patrimoniorum inter consortes. 20
Dispensatores dicti, quia aes pensantes expendebant, non adnumerabant. Hinc deducuntur expensa sive dispensata vel conpensata. Item conpendium, dispendium, assipondium, dupondium.
Dispescere est proprie pecus a pastione deducere, ut conpescere una pascere et in uno loco continere. 25
Despretus valde spretus.
Desivare desinere.
Dissulcus porcus dicitur, cum in cervice saetas dividit.

---

4 Decuriores *GI*[1]: Decores *codd. aliquot p. 53.* 5 Depoculitum *L.* 6 appellant *R.* 10 Decores *E*: Decutes *recc.* 11 Dictinna *codd.* (Dicd- *MP*: Detinna *I*) putabant *om. L.* 12 ostendit *R.* 13 Deblatterare *T.* stulto *L.* stultas *β.* 15 (Dicearchia *codd.*) puteor liqui odea *L.* 17 (Demoe [-one *L*] *codd.*) 20 Desertiones *codd.* (Dis- *R*). 21 qui *LEGR.* 22 hic *T.* 23 Dassipondium (*nov. lemm.*) *T.* aupondium (*ex* ausp-) *L.* 25 proriae *L.* ut co. una pa. *post* continere *MP.* 26 et nunc loco *T.* 27 Despraetrus *L.* 29 Disulcis *Gloss.*

Disertus a disserendo dictus.
Dignorant, signa inponunt, ut fieri solet in pecoribus.
Disertim pro diserte dixerunt antiqui.
Distisum et **pertisum** dicebant, quod nunc di⟨s⟩taesum et
5 pertaesum.
Delubrum dicebant fustem delibratum, hoc est decortica- 73
tum, quem venerabantur pro deo.
Delicia est tignum, quod a culmine ad tegulas angulares
infimas versus fastigatum collocatur; unde tectum delicia-
10 tum et tegulae deliciares.
Degere antiqui posuerunt pro expectare.
Deteriae porcae, id est macilentae.
Delibare aquam sulco derivare.
Delicare ponebant pro dedicare.
15 **Deliquium** solis a delinquendo dictum, quod delinquat in
cursu suo.
52 **Delinquere** est praetermittere, quod non oportet praeteriri;
hinc deliquia et delicta.
Deliquum apud Plautum (Cas. 207) significat minus.
20 **Detudes** esse detunsos, deminutos.
Delaniare est discindere et quasi lanam trahere, unde la-
cinia et lanius dicitur, qui pecus discindit.
Delapidata lapide strata.
Dextans dicitur, quia assi deest sextans, quemadmodum duo-
25 deviginti et deunx.
Deluit solvit, a Graeco διαλύειν.

---

1 Dissertus *L*: Disserius *T*. diserendo *IR*. 2 solent *L*. 3 Desertim *MP*: Desertum *LI*. disserte *LT*. 4 ditaesum *PMLEG*: dictaesum *T*: detesum *I*: daetesum *R*. 6 Delubri *L*. 8 Delici est *M*. 12 Deterriae (-ie) *β*. 13 diriuare *G*. 15 deliquendo *MP*: delinquo *IR*. 17 quo domino portet *L*. 18 delinquia *β*: reliquia *M*. 19 Deliquium *dett.*: Delicuum *Plautus*. 20 detonsos *codd.*: *corr. ex Gloss.* 21 discidere *G ex corr. IR*: discedere *PG ante corr.*: dicedere *M*. lacina *MP*. 22 discindit *E*: discedit *MP*: discidit *TLβ* (*cf. 84, 16*). 24 admodum *L*. 25 deuna *codd.* (de *om. I*). 26 Deliuit *I*: Diluit *Gloss.*, *fort. recte*.

Dilectus militum, et is, qui significatur amatus, a legendo dicti sunt.

74 **Deliberare** a libella, qua quid perpenditur, dictum.

Detrectare est male tractare.

Dextimum et **sinistimum** antiqui dixerunt. 5

Dextera auspicia prospera.

Dextrarum tibiarum genus est, quae dextra tenentur.

Diobolares meretrices dicuntur, quae duobus obolis ducuntur.

Dies dictus, quod divini sit operis, sive ab Iove, eius, ut 10 putabant, rectore, qui Graece Δία appellatur; sive quod aer diurnus dehiscat in candorem.

Diabathra genus solearum Graecanicarum.

Deorata perorata.

Deactio peractio. 15

Dianius locus Dianae sacratus.

Diffarreatio genus erat sacrificii, quo inter virum et mulierem fiebat dissolutio. Dicta diffarreatio, quia fiebat farreo libo adhibito.

Dium, quod sub caelo est extra tectum, ab Iove dicebatur, 20 et Dialis flamen, et dius heroum aliquis a Iove genus ducens.

Defrensam detritam atque detunsam.

75 **Deinde** compositum est ex praepositione et loci significatione, ut exinde, perinde, proinde, subinde, quae item tempus significant. 25

Diox genus piscis frequens in Ponto.

Deincipem antiqui dicebant proxime quemque captum, ut 53 principem primum captum.

---

1 mi. ex his *R*. 4 Detractare *IR*. 5 adqui *R*[1]. 6 Dextera *TL*: Dextra *MPβ*. 7 de. te.] dextratae *I*: *om*. *R*. 8 dicuntur *β*. 10 siue adiaioue *β*. eius] uenus *MP*. 12 diuinus *I*. 13 Diabrathra *GI*: Dubrathra (*ex* -thara) *R*. 16 Diamus *β*. lucus *recc*., *fort. recte* 17 quod *IR*. 18 diss. — fiebat *om I*. quia] qua *R*. 18—19 farre oliuo *E*: farrae oliuo *L ut vid*. 20 tentum *G*[1]. 21 (a *codd*.): a *ex* ab *I*. 22 detonsam *codd*.: *corr*. *Ital*. 23 locis *R*. 24 proinde perinde *L*: perinde *R*. idem *I*. 26 in Ponto *om*. *R*. 28 capitum *MPβ*.

Diomedis campi in Apulia appellantur, qui ei in divisione regni, quam cum Dauno fecit, cesserunt.
Diomedia insula, in qua Diomedes sepultus est, excedens Italia.
5 **Depontani** senes appellabantur, qui sexagenarii de ponte deiciebantur.
Desiderare et **considerare** a sideribus dici certum est.
Decures decuriones.
Defomitatum a fomitibus succisum, quibus confoveri erat
10 solitum.
Depeculatus a pecore dicitur. Qui enim populum fraudat, peculatus poena tenetur.
†**Decultarunt** valde occuparunt†.
Decalicatum calce litum.
15 **Dium** fulgur appellabant diurnum, quod putabant Iovis, ut nocturnum Summani.
Dicassit dixerit.

Elucum significat languidum ac semisomnum, vel, ut alii volunt, alucinatorem et nugarum amatorem, sive †halonen†,
20 id est hesterno vino languentem, quod ἕωλον vocitant Graeci.
Emere, quod nunc est mercari, antiqui accipiebant pro sumere. 76
Elices sulci aquarii, per quos aqua collecta educitur e liris.
Ennam etiamne.
Elaudare plus quam nominare.
25 **Elecebrae argentariae** meretrices ab eliciendo argento dictae.
Electabo eliciam.
Enumquam ecquando.

---

3 Diomedia *MP*: -dea *LTβ*. 5 appellantur *M*. 6 eiciebantur *I*. 7 Dis- *TL*. 8 Decores *codd.* (-cur- *E1 cum codd. supra, p. 63*) 9 Defomicatum *codd.* (*in fine* lignum *non add. codd.*) 11 Depucalatus *R*, pecure *GR*. 13 Deculcarunt (-lta-) *Gloss.* occultarunt *dett.* (*cum Gloss.*): *an* Deculcarunt valde occulcarunt? 14 Decallicatum *β*. politum *codd. supra* (*51, 19; 41, 8*). 16 summam *R*. 17 Discassit *I*. direxit *G*. 19 alucina *R*. am. et nug. *R*: et nugatorem *T ante corr.* alonen *α* (alomen *PM*). 20 externo *codd.*: *corr. dett.* 22 libris *L*. 23 En iam *Turn.* 26 Elactabo *MP*. 27 eoquando *β*.

Emussitata ad amussim facta.
Endoitium initium.
Em tum.
Empanda paganorum dea. 54
Emem eundem. 5
Elumbum evulso lumbo.
Elinguem sine lingua.
Elacatena genus salsamenti, quod appellatur vulgo melandrea.
Enubro inhibenti. 10
Elixa a liquore dicta.
77 **Endoplorato** inplorato, quod est cum questione inclamare. Inplorare namque est cum fletu rogare, quod est proprie vapulantis.
Endo procinctu in procinctu: significat autem, cum ex castris 15 in proelium exitum est, procinctos, quasi praecinctos atque expeditos. Nam apud antiquos togis incincti pugnitasse dicuntur.
Emptivum militem mercennarium.
Emancipati duobus modis intelleguntur, aut hi, qui ex pa- 20 tris iure exierunt, aut hi, qui aliorum fiunt dominii; quorum utrumque fit mancipatione.
Eum antiqui dicebant pro eorum. Em pro eum, ab eo, quod est is.
Egeriae nymphae sacrificabant praegnantes, quod eam pu- 25 tabant facile conceptum alvo egerere.
Escariae mensae quadratae vocantur, in quibus homines epulantur. Anclabris ea qua in sacrificando dis anclatur, quod est hauritur ministraturque.

---

1 Emussitate *MP*: Emusitata *T*. 2 Endoicium *LR*: Endeicium *I*. 4 Empenda *β*. 5 Hemdem *Gloss.* meundem *codd.* (eundem *E*). 8 malandrea *α*. 10 Enibro *Gloss.* 11 aliqua redicta *R*. 16 quasi] qua *M*. qu. praec. *om. P*. 17 punitasse *T*. 19 Emptiuum *β*: Emtiuum *MLTP* (*ex* Emtuum). 23 (*ab* Em *null. nov. lemm. in codd.*) en *codd.*: *corr. ex 92, 1.* 26 conceptam *T*. aluo *β*: aluum *α*. 27 uoc. quad. *IR*. 28 ea] ex *Turn.*, *fort. recte* (qua *codd.*) anclatur *recc.*: adclatur *E*: addatur *L*: adclaratur *MTβP* (*ex* adclabatur).

Escit erit.
Eapse ea ipsa.
Evelatum eventilatum, unde velabra, quibus frumenta ventilantur.
5 **Egens** velut exgens, cui ne gens quidem sit reliqua.
Eiuratio significat, id, quod desideretur, non posse praestari. Plautus (inc. frg. 25): „Eiuravit militiam."
Everriator vocatur, qui iure accepta hereditate iusta facere defuncto debet; qui si non fecerit, seu quid in ea re turba-
10 verit, suo capite luat. Id nomen ductum a verrendo. Nam 78
55 exverriae sunt purgatio quaedam domus, ex qua mortuus ad sepulturam ferendus est, quae fit per everriatorem certo genere scoparum adhibito, ab extra verrendo dictarum.
Egretus et **adgretus** ex Graeco sunt ducta a surgendo et
15 proficiscendo. Unde et Nyctegresia quasi noctisurgium.
Eccere iurisiurandi est, ac si dicatur per Cererem, ut ecastor, edepol. Alii eccere pro ecce positum accipiunt.
Eamus ex Graeco *ἴωμεν*.
Europam tertiam orbis partem ab Europa, Agenoris filia,
20 certum est appellari. Sed alii de amore Iovis in taurum versi narrant: alii eam a praedonibus raptam, et navem, quae Iovis tutelam, effigiem tauri, habuerit, in eam regionem esse delatam. Quidam ob pulchritudinem regionis per simulationem raptae filiae occupatam eam terram ab Age-
25 nore et Phoenicibus ferunt.
Epolonos dicebant antiqui, quos nunc epulones dicimus. Datum est autem his nomen, quod epulas indicendi Iovi ceterisque dis potestatem haberent.

---

1 erit] esurit *IR.* 2 ipse *TLE.* 5 uelut exgesis *I.* 7 seiurauit *PML.* 9 si *om. IR.* 10 dictum *T.* 11 exuerriae *Dac., Buggius (Jahrb. Class. Phil. 105, p. 97)*: exuernae (-ne) *codd.*: exuerrae *dett.* 12 certe *PM.* 14 dicta *M.* 15 nictegresia *codd.* (ny- *T*; -ss- *L*) noti surgium *MT.* 16 iuris iurando *M ante corr.* 18 iomen *codd.* (-eri *G*). 23 quidam] quid *(seq. spat.) E.* 24 similitudinem *M.* 27 est *om. LR.* autem *om. LTE.*

Eudiaeon lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod κλυσμός emittitur.

Euboicum talentum nummo Graeco septem milium et quingentorum cistophorum est, nostro quattuor milium denariorum. 5

Extrarium ab **extraneo** sic distinguitur: extrarius est, qui extra focum sacramentum iusque sit; extraneus ex altera terra, quasi exterraneus.

Exta dicta, quod ea dis prosecentur, quae maxime extant eminentque. 10

Extimum extremum ita significat, ut intimo sit contrarium.

79 **Exterraneus** ex alia terra.

Exterraneus quoque dicitur et, qui ante tempus natus vel potius eiectus est. Dictus autem exterraneus, quod eum mater exterrita alvo eiecit. 15

Externus est alienus terrae.

Experrectus a porrigendo se vocatus, quod fere facimus recentes a somno.

Expreta antiqui dicebant, quasi expertia habita.

Excudere, procudere et **incudis** ipsa a caedendo dicta sunt. 56

Explorare antiquos pro exclamare usos, sed postea prospi- 21 cere et certum cognoscere coepit significare. Itaque speculator ab exploratore hoc distat, quod speculator hostilia silentio perspicit, explorator pacata clamore cognoscit.

Expapillato brachio, exerto; quod cum fit, papilla nudatur. 25

Exbures exinteratas, sive exburae, quae exbiberunt, quasi epotae.

Exdorsua dorsum confringe; alii, exime.

Exfir purgamentum, unde adhuc manet suffitio.

---

1 Eudion *I ante corr.*: Eudieon *R*: Eud. ⟨foramen tenue ut⟩ lin. *Merck.* filium *MI.* clysterio *EP*: clyfterio *L*: clifterio *G*: clisterio *IR.* 2 climos *codd.* (di- *L*). 3 Eoboicum *PMTEG*: Eobeicum *L*: Eboicum *R.* 7 iusque *Eβ*: 'usque *MPL.* 8 qu. extraneus *IR.* 12 Extraneus *I.* 13 (dic. et qui *codd.*) 14 electus *MPIR.* dictus est au. *IR.* 16 *om. P.* terrae *om. M.* 17 corrigendo *codd.*: *corr. Urs.* 19 Expraeta *αIR.* quasi] quae *R.* 20 (incudis *codd.*) 23 silentia *β.* 24 peccata *L.* 25 sit *β.* 27 epotate *L.* 28 dorsunt *R.*

Escendere egredi.
Experitos imperitos.
Explenunt explent. 80
Exdutae exuviae.
5 **Excipuum**, quod excipiatur, ut praecipuum, quod ante capitur.
Exciet excutiet.
Expat⟨i⟩are in locum patentem se dare, sive in spatium se conferre.
10 **Edecimata** electa.
Expectorat, ex pectore eicit.
Experrectus est, qui per se vigilare coepit: expergitus ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum.
Excidionem urbis a caedendo dictam manifestum est.
15 **Effata** elocuta.
Exporgere porro agere, exporrigere.
Exoletus, qui adolescere, id est crescere desiit.
Exanclare exhaurire.
Examen est et aequamentum et iudicii investigatio et apum
20 congregatio vel locustarum.
Examussim regulariter: amussis enim regula fabrorum est: vel, ut alii volunt, ferramentum, quo in poliendo utuntur.
Exagogen evectionem.
Exurguentes exprimentes.
25 **Exgregiae**, egregiae, id est e grege lectae.
57 **Exodium** exitum.
Exoriri surgere.
Exsuviae ab exuendo dictae. 81

---

1 (Esc- *codd.*) 5 Excipuium *L.* excipitur *dett.* 8 Expatare *codd.*: *corr. Meursius.* se dare] sedere *LE.* 10 Ecdecimata *I.* 14 dictum *PML*: dicitam *I.* 15 locuta *R.* 17 quia *IR.* 18 Exanglare *codd.* (-ncl- *EI*: -ngul- *R*). 19 indicii *dett.* 21 (Examussim *etc. hoc loco hab. codd.*) amusis *M.* 22 quo *ex* quod *G.* 23 eventionem *G*[1]. 24 Exurgentes *T*: Exuentes *E.* 25 Exgr. id est egr. id est e *E*: Exgr. id est egregie quasi e *L.* electae *L.* 26 Exodum *L.* 27 Ex. surge *α* (*pro* Exorire surge?) 28 Exuuiae *PMLI.* ad *MP.* exsuetudo *R.*

Exercitus et militum copia dicitur, et homo multis negotiis exercitus; sed superius quarti ordinis, hoc secundi est.
Exomides sunt comici vestitus exertis humeris.
Exiles et **ilia** a tenuitate inarum, quas Graeci in chartis ita appellant, videntur esse dicta. 5
Exilica causa, quae adversus exulem agitur.
Exitium antiqui ponebant pro exitu; nunc exitium pessimum exitum dicimus.
Exercirent, sarcirent.
Exercitionem exerciti dicebant antiqui exercitationem exercitati. Item exercitiorem, exercitissimum; sicut ab exercitato exercitatiorem, exercitatissimum. 10
Exfuti effusi, ut mertat pro mersat.
Effari et **effata** a fando, quod ipsum ex Graeco ὣς φάτο.
Equirria ludi, quos Romulus Marti instituit per equorum cursum, qui in campo Martio exercebantur. 15
Equirine iusiurandum per Quirinum.
Equestre aes, quod equiti dabatur.
Equitare antiqui dicebant equum publicum merere.
Equus Marti immolabatur, quod per eius effigiem Troiani capti sunt, vel quod eo genere animalis Mars delectari putaretur. 20
Equo vehi flamini Diali non licebat, ne, si longius digrederetur, sacra neglegerentur.
Exinfulabat exer[c]ebat: infulas enim sacerdotum filamenta vocabant. 25

---

3 extis *R.* 4 Extiles extilia a ten. *L.* 5 ita] na *R.* appellanti (*corr.* -ati) qui ponebant (*l.* 7) *L.* vid. es. di. *om. L.* 6 *post l. 13 L.* 7 exitu *ex* exercitu *L.* 10 Exertionem *LG*[1]. exercitationem *T*: excitationem *codd.* 11 exercitiorem *EG*[2]*R*: exerticionem *I*; exerciorem *G*[1]: exerciore *M.* exercitissimum *T*: exercitatissimum *codd.* exercitatu *M* (*ex* -um): **citatu *P*: excitato (*in ras.*) *L*: ercitato *G* (*ante corr.*): ex exercitato *R.* 13 ut mercat *R.* 14 ex] a *MP.* os phato *codd.* 15 Equiria *T*: Equiria *ex* Exq- *I*: Equirricia *R.* 18 Equeste *T.* 19 antiqui *om. R.* equo publico *Turneb.* mereri *E.* 21 sint *dett.* 23 licebant *IR.* 25 Exinfababat *R.* exercebat *codd.*: *corr. recc.* 26 uocabantur *R.*

Existimare dictum ab aestimatione. 82
Exrogare est ex lege vetere aliquid eximere per novam legem.
Eximium inde dici coeptum, quod in sacrificiis optimum pecus e grege eximebatur, vel, quod primum erat natum.
5 **Exemplum** est, quod sequamur, aut vitemus. Exemplar, ex quo simile faciamus. Illud animo aestimatur, istud oculis conspicitur.
Exhaustant, efferunt.
58 **Exin** metri causa dicitur pro exinde.
10 **Exesto**, extra esto. Sic enim lictor in quibusdam sacris clamitabat: hostis, vinctus, mulier, virgo exesto; scilicet interesse prohibebatur.
Epulares appellabantur, qui in quibusdam ludis nocte epulabantur.
15 **Epistylium** trabs, quae super columnas ponitur.
Epeus nomen cuiusdam fabri, qui equum dureum fecit.
Epicrocum genus amiculi croco tinctum, tenue et perlucidum.
Epulam antiqui etiam singulariter posuere.
Epilimma genus vilissimi unguenti.
20 **Erctum citumque** fit inter consortes, ut in libris legum Romanorum legitur. Erctum a coercendo dictum. Unde et erciscendae et ercisci. Citum autem est vocatum a ciendo.
Ederam flamini Diali neque tangere, neque nominare fas erat, pro eo, quod edera vincit, ad quodcumque se applicat.
25 Sed ne anulum quidem gerere ei licebat solidum, aut aliquem in se habere nodum.
Edeatroe, qui praesunt regiis epulis, dicti *ἀπὸ τῶν ἐδεσμάτων*.
Ervum et **ervilia** a Graeco sunt dicta, quia illi ervum *ὄροβος*, erviliam *ἐρέβινθος* appellant.

---

3 sacrificium *R.* 5—6 Exemplar — faciamus *om. E.* 5 il. an. aest. *om. I.* 8 Exaustant *R.* 9 Exim *PMTG ante corr., ut vid.* 12 prohibetur *G ante corr.* 13 Iuris *α.* 15 Epistilium *codd.* 16 frabri *R.* 17 Epigrocum *R.* 19 Epllimma *E*: Epilimna *I*: Epalimma *Aug.* 20 Erectum *R.* cinctumque (*corr.* quae) *G*: citum quae *E.* sit *M.* regum *I.* aromanorum *MP.* 22 erciscendae *G*: -de *MLEI*: -do *R.* ercissi *codd.* citum] tum *MP.* 24 eo *om. R.* 27 Edeatrae (-rę, -re) *codd.*: *corr. Dac.* epulis regis *MP.* adesmaton *β.* 29 terebinthus *L.*

Ergo correptum significat idem, quod apud Graecos οὐκοῦν; producte idem, quod χάριν, hoc est gratia, cum scilicet gratia intellegitur pro causa. Sed illud superius etiam sine exemplis notum est; hoc inferius sic formatur, cum dicimus de aliquo: statua donatus est honoris virtutisque ergo, id 5 est honoris virtutisque causa.

83 **Eritudo** servitudo.

Erugere semel factum significat, quod eructare saepius. Illud enim perfectae formae est, hoc frequentativae.

Erebum Virgilius interdum obscuritatem quandam esse de- 10 scribit apud inferos, cum ait (Aen. 6, 404): „Imas Erebi descendit ad umbras." Interdum flumen eiusdem loci, dicens (Aen. 6, 671): „Et magnos Erebi transnavimus amnes." Varro vero Erebo natam noctem ait. Unde est et illud (trag. inc. 132): „Erebo creata fuscis crinibus nox, te in- 15 voco."

Effafilatum, exertum, quod scilicet omnes exerto brachio 59 sint exfilati, id est extra vestimentum filo contextum.

Fornacalia sacra erant, cum far in fornaculis torrebant.

Formiae oppidum appellatur ex Graeco, velut Hormiae, quod 20 circa id crebrae stationes tutaeque erant, unde proficiscebantur navigaturi.

Forma significat modo faciem cuiusque rei, modo calidam, ut, cum exta, quae dantur, deforma appellantur. Et Cato ait de quodam aedificio (inc. 23): „aestate frigido, hieme 25 formido". Item forma appellatur puls miliacia ex melle.

---

1 ukun *PMTER*: aikun *LGI*. 2 id est *IR*. 5 istatua *β*. virtutisque — honoris *om. R*. 6 hon. id est *L*. 9 p. forma *L*: perfecta forma *MP*. fo. hoc est frequentatiua *L*. 10 uir gilibus *G*. 11 erebis *L*. 14 crebo na. *I*: Er. notam *R*. 15 Er. procreata *Ribbeck*. furtis *GI*: furcis *R*. 17 Effufilatum *G*: Effusilatum *I*: Effiufilatum *R*. 18 uestium *R*. 19 terrebant *L*. 21 id] idem *R*. stationes *MP*[1]. 23 cuique *L*. calida *Corssen. (Rh. Mus. 20,730)*: calidum *Jordan. (Cat. p. 87)*. 24 deo forma *Corssen*. 25 frigidum hi. formidum *Jordan*. 26 plus *ML*. miliaciacia *R*.

Fordicidis boves **fordae**, id est gravidae, immolabantur, dictae a fetu.
Foedus appellatum ab eo, quod in paciscendo foede hostia 84 necaretur. Virgilius (Aen. 8, 641): „Et caesa iungebant foe-
5 dera porca." Vel quia in foedere interponatur fides.
Forcipes dicuntur, quod his forma, id est calida, capiuntur.
Forbeam antiqui omne genus cibi appellabant; quam Graeci φορβήν vocant.
Faedum antiqui dicebant pro haedo, folus pro holere, fostim
10 pro hoste, fostiam pro hostia.
Furvum nigrum, vel atrum. Hinc dicta furnus, Furiae, funus, fuligo, fulgus, fumus.
Fodare fodere.
Forctes, frugi et bonus, sive validus.
15 **Forum** sex modis intellegitur. Primo negotiationis locus, ut forum Flaminium, forum Iulium, ab eorum nominibus, qui ea fora constituenda curarunt; quod etiam locis privatis et in viis et agris fieri solet. Alio, in quo iudicia fieri, cum populo agi, contiones haberi solent. Tertio, cum is, qui pro-
20 vinciae praeest, forum agere dicitur, cum civitates vocat et de controversiis eorum cognoscit. Quarto, cum id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulchri dicari solet. Quinto, locus in navi, sed cum masculini generis est et plurale [est]. Sexto fori significant et Circensia specta-
60 cula, ex quibus etiam minores forulos dicimus. Inde et fo-
26 rare, foras dare, et fores et foras et foreculae, id est ostiola, dicuntur.
Fons a fundendo dictus.

---

1 Fordicidus *I*. 3 appellatur *L*. fide *T*: foedere *IR*. 5 fide *M*. 6 rapiuntur *codd.: corr. recc.* 8 forbin *codd.* 9 Foedum *Mβ*. hedo (edo) *β*. olera *G*. fustim *β*. 10 fosciam *L*. 11 furinus *L*. 14 Froctes *L*; Forotes *β*: Forctis *recc.* fugi *MP*. 15 intellitur *M*. 16 flaminum *G*. 18 (et agris *codd.*) solent *R*. 19 contentiones *L*: concisiones *R*. comis *L*. 21 quartum *T*. 22 dicari] dici *I*. 23 cum] tum *dett.* 24 est *(alt.) om. α*. foris *GI(R?)*. cirtensia *G*. 25 farulos *R*[1]. 26 et foras fores *GI*: et foras et fores *R*: et foris et foras *L*. 27 ducuntur *E*. 28 a studendo *R*[1]: a fluendo *R*[2].

Fomites sunt assulae ex arboribus, dum caeduntur, excussae: dictae, quod in eo opere occupati cibis potuque confo-
85 ventur. At Opilius adustas iam fomites vocari existimat. Fomites alii vocari putant scintillas, quae ex ferro candenti malleis excutiuntur; dictae autem ita, quia igni sunt con- 5 fotae. Pari modo assulae, quae sunt securibus excussae.
Fontinalia, fontium sacra. Unde et Romae Fontinalis porta.
Folium a Graeco venit, quod illi dicunt φύλλον, sed ideo per unum L, quia antiqui non geminabant consonantes.
Focus, fomenta, focilationes, foculi a fovendo, id est cale- 10 faciendo, dicta sunt.
Folliculare appellatur pars remi, quae folliculo est tecta, a quo vita follicularis.
Ferentarii auxiliares in bello, a ferendo auxilio dicti, vel quia fundis et lapidibus pugnabant, quae tela feruntur, non 15 tenentur, ita appellati.
Ferctum genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur, nec sine strue, altero genere libi, quae qui adferebant struferctarii appellabantur.
Feralia dis manibus sacrata festa, a ferendis epulis, vel a 20 feriendis pecudibus appellata.
Feria a feriendis victimis vocata.
Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo mense anni, populus februaretur, id est lustraretur ac purgaretur, vel a Iunone Februata, quam alii Februalem, Romani Fe- 25 brulim vocant, quod ipsi eo mense sacra fiebant, eiusque feriae erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a

---

1 sunt uel astule assule *R.* 3 ut *β*. opolius *G*[1]. fom. voc. ex. *om. G*[1]. fomitas *G*[2]. existimant *I.* 3–4 (fom. voc. ex. Fom. *codd.*) 4 cadenti *R.* 5 exciuntur *G*: excutuntur *I.* 7 Fontilana *M*: -una *P.* fontilanis *MP.* 8 Fohtlium *L.* 10 focilaciones *M*: focillationes *I. an* focula? 12 lecta *codd.*: *corr. Aug.* 14 Estentarii *L.* dic. aux. *I ante corr.* 16 tenentur *Eβ*: conterentur *PMT* (*ex* -runt-) *L* (*qui tamen post illud* focus *exhibet* continentur, *scil. var. lect.*) 17 Firctum *codd.* (Firectum *T*). ferebantur *MP.* 18 altoro *G.* quem *R.* 19 struferctari *MPTL*: struferttarii *R*: strufectarii *I.* 20 sacra *G.* 22 ferendis *β*. 23 extrema *I.* 25 februllim *codd.*

lupercis amiculo Iunonis, id est pelle caprina; quam ob causam is quoque dies Februatus appellabatur. Quaecumque denique purgamenti causa in quibusque sacrificiis adhibentur, februa appellantur. Id vero, quod purgatur, dicitur
5 februatum.

Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fes-
61 cennina dicuntur allati, sive ideo dicti, quia fascinum putabantur arcere.

Fenus et **feneratores** et lex de credita pecunia fenebris, a 86
10 fetu dicta, quod crediti nummi alios pariant, ut apud Graecos eadem res τόκος dicitur. — Fenum quoque pratorum ab hac causa est appellatum, quando id ipsum manens quotannis novum parit. Unde etiam et festuca vocata est.

Felicata patera dicta, quod ad felicis herbae speciem sit
15 caelata.

Fescemnoe vocabantur, qui depellere fascinum credebantur.

Ferias antiqui **fesias** vocabant; et aliae erant sine die festo, ut nundinae; aliae cum festo, ut Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex proventu fetus pecorum frugumque.

20 **Ferire** dictum, quod ferientes ferantur.

Felicones mali et nullius usus, a felice dicti.

Ferus ager incultus.

Factio et **Factiosus** initio honesta vocabula erant; unde adhuc factiones histrionum et quadrigariorum dicuntur. Modo
25 autem nomine factionis seditio et arma vocantur.

Fama a fando dicta, sic apud Graecos φήμη ἀπὸ τῆς φάσεως.

Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux et princeps generis vocabatur pater et mater familiae. Unde familiae nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum.

---

3 denique *om.* *R.* 4 purgantur *R*[1]. 6 uescennina *R.* 8 antere *R*[1]: cantare *R*[2]. 11 (*a* Fenum *null. nov. lemm. in codd.*) Faenum *EIR*: Foenum *L.* paratorum *MP*: patrorum *G*[1]. 12 id] ut *MP.* 14 Filicata *LER*[2]. a *I.* filicis *L ex corr. EGR.* 16 Fescennoe *I*: *an* Fesceninoe? 17 fesias *Mue.*: festas *codd.* 19 festus *R.* 20 feriantur *M.* 21 Filicones . . . filice *E.* 23 Facio *R.* 24 factione *IR.* 25 autem] is *L.* 26 Fame *GR.* 28 gen. princ. *LE.* 29 (familiae *codd.*) nouilium *α.* Popilliorum *Aug.*

Et familiares, ex eadem familia. Postea hoc nomine etiam famuli appellari coeperunt, permutata I cum U littera.
Facessere significat interdum facere, ut est (Virg. Aen. 4, 295): „Iussa facessunt.“ Interdum vero pro abeat ponitur. Pacuvius (326): „Facessite omnes hinc,“ id est abite. 5
87 **Facul** antiqui dicebant et faculter pro facile; unde facultas et difficultas videntur dicta. Sed postea facilitas morum facta est, facultas rerum.
Famuletium dicebatur, quod nunc servitium.
Famicosam terram palustrem vocabant. 10
Famuli origo ab Oscis dependit, apud quos servus famel 62 nominabatur, unde et familia vocata.
Fagutal sacellum Iovis, in quo fuit fagus arbor, quae Iovis sacra habebatur.
Fovi, qui nunc Favi appellantur, dicti, quod princeps gen- 15 tis eius ex ea natus sit, cum qua Hercules in fovea concubuit. Alii putant, eum primum ostendisse, quemadmodum ursi et lupi foveis caperentur.
Faces antiqui dicebant, ut fides.
Famino, dicito. 20
Facem in nuptiis in honorem Cereris praeferebant; aqua aspergebatur nova nupta, sive ut casta puraque ad virum veniret, sive ut ignem atque aquam cum viro communicaret.
Fabam nec tangere, nec nominare Diali flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinere. Nam et Lemuralibus iaci- 25 tur larvis, et Parentalibus adhibetur sacrificiis, et in flore eius luctus litterae apparere videntur.
Flamen Dialis dictus, quod filo assidue veletur; indeque appellatur flamen, quasi filamen. Dialis autem appellatur a Dio, a quo vita dari putabatur hominibus. 30

---

2 famili *L.* 5 pacuuias *G.* facessete *MP*: facessire *T* (*non Wirceb.*) 6 proficile *L.* 9 Famuletum *R*: Famulitium *Gloss.* 10 plaustre *I.* 11 dependit *etiam Wirceb.* 12 uocabatur *Wirceb.*[1] 13 Fagutal *ex* Fagultal *Wirceb.* 14 sacra *om. L.* 15 (appellantur *codd.*): -atur *L.* 20 *a* Famino *null. nov. lemm. in codd.* 21 ceteris *MP.* 23 uenisset *β Wirceb.* 28 filio *MP.* 29 qu. flamen *M.* au. Di. *R.*

Famella deminutivum a fama.
Faviani et **Quintiliani** appellabantur luperci, a Favio et Quintilio praepositis suis.
Fastorum libri appellantur, in quibus totius anni fit de-
5 scriptio. Fasti enim dies festi sunt.
Fanum a Fauno dictum, sive a fando, quod dum pontifex 88 dedicat, certa verba fatur.
Fastigium aedificii summum.
Favi a fovendo.
10 **Favisae** locum sic appellabant, in quo erat aqua inclusa circa templa. Sunt autem, qui putant, favisas esse in Capitolio cellis cisternisque similes, ubi reponi erant solita ea, quae in templo vetustate erant facta inutilia.
Faventia bonam ominationem significat. Nam praecones
15 clamantes populum sacrificiis favere iubebant. Favere enim est bona fari, at veteres poetae pro silere usi sunt favere.
Falcones dicuntur, quorum digiti pollices in pedibus intro sunt curvati, a similitudine falcis.
Farreum genus libi ex farre factum.
20 **Falarica** genus teli missile, quo utuntur ex falis, id est ex locis extructis, dimicantes.
63 **Fatantur**, multa fantur.
Falae dictae ab altitudine, a falado, quod apud Etruscos significat caelum.
25 **Farfenum** virgulti genus.
Fascinum et **fas** a fando nominantur.
Fartores, nomenclatores, qui clam velut infercirent nomina salutatorum in aurem candidati.
Furnalia sacra Furinae, quam deam dicebant.

---

